



BIBLIOTEKA
Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

5.265





8
MOSCHOVIA

Sive

Brevis Narratio, de Moribus

MAGNAE RUSSORUM

MONARCHIÆ.

Animadversionibus Civilibus, & Po-

liticis Documentis moderno Regnorum

& Rerumpublicarum Statui

Accommodata.

AUCTORE

PAULO à POTOК POTOCKI,


Palatinidà Braslaviense; duobus annis & dimidio

supra decennium in Príncipe illius Imperii Vrbe,

retinentibus eum belli juribus,

nuper commorante.

13.042



DANTISCI.

Imprimebat DAVID-FRIDERICVS IHETIVS,

Reip. & Gymnasii Typograph: 1670.

MOSCHOVIA


Brevi Narratio de Moribus

MUSCOPOLITANORUM

MONARCHIAE

AVGVSTISSIMO CAESARI

FRANCISCO SECVNDVS



1711


AVGVSTISSIMO CAESARI

FRANCISCO SECVNDVS

FRANCISCO SECVNDVS

FRANCISCO SECVNDVS

XVII - 5265 - III




SERENISSIMO
JOANNI CA-
SIMIRO,

Antecedaneo POLONIARUM,
Hæreditario Svecorum, Gothorum
Vandolorumq; **REGI.**

Suo ex tredecennali Moschoviticâ Servitute
VINDICI ac LIBERATORI
BENEFICENTISSIMO,

Paulus à Potok Potocki,

Vitam & Felicitatem humillime
precatur.



Aurum abire in fer-
rum, sanguine pluerè cæ-
lum: vix jam hæc corruptis-
simi sæculi ætate prodigi-
um est: quid miraberis, si a-
tramenta etiam nostra cognatus planè orbi
tinxerit cruor, **R EX** Serenissime: Levio-

res calamitates suas atro colore, quasi pul-
 latus literatorum hominum calamus sæpè
 luxit: sed cùm incendiaria fax tumultuanti
 Septentrioni ita sit injecta, ut cineribus suis
 nihil jam superfit, ipse sangvinem stillare
 didicit stylus, & qui antea rarò pungere no-
 vit, in ferreum desinit acumen. Usq; adeò
 nihil in orbe non sangvinolentum est: si
 pacatissimæ & indociles bellorum incom-
 moda pati Musæ, sangvines tantùm aut
 mortes dicere cogantur. Sumpsi ego hanc
 personam: cui non personatam nuper lu-
 ctuosissima fortuna imposuit mulctam: &
 deterrimum hoc malum, in quo avertendo
 vindices aliorum elaborarunt, Tua manu-
 cente fortunà, dexteræ: Tibi Optimo Prin-
 cipum, pristinæ felicitatis nostræ Statori, su-
 is coloribus, qui multùm ex vivo traxere,
 depinxi. Servilis quasi fateor mea, sed non
 parricidialis manus est: cui mitiora Studia,
 sicut omne contra patriam (proh nefas &
 piaculum) excusere ferrum: ita sub alieno
 cælo

cælo vectigale Tibi non exui obsequium: ut judicet prudens posteritas, siue improbus adversariorum meorum livor, Potociannam manum aut pro Majestate Regum suorum esse pugnacem: aut si commodo Regni Poloni cedet, in describendo alieno regno, etsi in remotiore aulâ, obseqventem. Quartus ultrâ vigesimum annus est, ex quo **DIVO VLADISLAO**, Fratri Tuo, Principi meo, brevem Romanæ Historiæ Commentarium inscripsi: sed non elapso primo decennio, irata rebus Polonis fortuna, coëgit me id in domo flere meâ, ex quo in alienâ, scilicet otiosus antiquæ infelicitatis, necdum adultus Historicus, commendationem terrioris ingenii captaveram. Frustra vel expugnatum Saguntum, vel deletam Carthaginem, vetera nimirum humanæ nomina calamitatis, revocarem, si præsens calamitas nostros nondum siccavit oculos, quasi propitia adhuc nobis fata, nollent aliis ignibus patriam ardere, quam his veluti præmoni-

toribus, ne secutura etiam ardeat ætas. Nam accersito ibi ex memoriâ antiquitatis opus non erit exemplo, ubi ad tam ferum spectaculum Christianus indoluit orbis, & deflere diutius nostra non cessaret incendia, nisi omnes jam Lachrymas, condolentis animi indices consumpsisset.

Certè Regiis auribus Tuis nihil peregrinum adfero, cujus nihil est invium vel in accessum Virtuti: pridem Tu Fraternæ commilito gloriæ, in triumphali contra Selynum bello prætextam planè Tuam posuisti, cum ignarus quâ se parte Vobis traderet orbis, hanc totam Aquilonarem Monarchiam ad Vestros pedes deduxerat, diu scilicet ambigentem, ex vestro nuto vivere an interire debuisset. Certare diutius voluissetis, si cum Regibus tantum certamen fuisset: sed Regnatrici dexteræ nobiliores debebantur manubiæ: pulchriorem scilicet adepti coronam, cum abdicato hoc Aquilonis Imperio,

rio, Michaëlem Fedorovitium regnare jus-
 sistis, ut doceretis orbem, non clandestinis
 artibus coronas eripere, sed Vobis imposi-
 tas supplici hosti reddere, præcipuum esse
 Regiæ liberalitatis munus. Impressa vesti-
 gia Majorum Tuorum in Kryngorodensi
 Moschorum arce, tanquam auspiciatissimæ
 olim monumenta fortunæ læti aspeximus:
 sicut a Magno Olgierdone, Vladislai Jagiello-
 nis, Abavi Tui Patre mænibus ejusdem arcis
 admotam legimus hastam: in Poloniâ præ-
 ter levem Principis Suyscy tumulum, vehu-
 ti sepulchralem extinctæ Majestatis illorum
 rogam, in urbe Varsaviensi nihil vel sedula
 indagatrix reperiet invidia: ut nos anteacta
 moneant tempora, in Moschovia Polonam
 aut vincere aut regnare virtutem: in Polo-
 nia, Moschoviticam perfidiam & superbum
 insolescentis potentiaë fastum aut mori, aut
 æviternâ sepeliri oblivione. Nec gravatè fe-
 res, nostrarum Vindex libertatum, Regum
 optime,

*Sereniss.
 Vladislavus
 titulo
 Magni
 Ducis
 Mosch.
 renuntiat
 ultro 1633.*

*Matthias
 Strycovius
 de rebus
 Lithvano-
 rum Libro
 12.*

Optime, si tenue hoc scriptum graviores
Tuas interpellabit curas. Multum interest
nosse ejus gentis ritus, mores, affectus, tum
civilem & bellicam Oeconomiam, Proceres
deinde, quos aulico regimini prosperitas
admovit trabeata; cui coercendæ ultricem
Tuam destinaverant spes & vota nostra
dexteram; nisi Te ignoto aulæ prodigio, &
primo post Carolum Quintum protoparen-
tem Tuum exemplo, regnis sceptrisq; exuis-
ses. Certè pleriq; humanæ aucupes prospe-
ritatis, libentius cum fortunâ Dominantium
loqvuntur, quam cum Dominante: meam
tamen levem operam, utpote remotissimâ
orbis parte sepositam, sicuti Regnatrix Tua
Fortuna celerius non allexit: ita suis jam
incomitata titulis, posthumæ tamen admi-
randa posteritati in deponendo Regno Ma-
gnanimitas non deterruit, quò minùs lucu-
brationi meæ, contrà vim & proterviam,
Tuam quasi Tutelare præfigerem nomen:

ut externo etiam innotescat orbi non ita Te
avitâ & paternâ excessisse Regia: ut hæc
perennia gratorum animorum asperneris
tributa. Neq; horreo æternum beneficia-
rii subditi Tui nomen, magnum etinim in
Principe moderati Imperii argumentum
est vita etiam inter hostes servata cujus, pla-
nè Domini exueras nomen, ut Patris auspi-
cium in nos sumeres quibus injustissima in
paterno solo novercata est fortuna. Adeò
quod Romana olim inter prodigia nume-
ravit aula; dum Te Orbi Polono donave-
ras Tibi eripucas: ita Regias Tuas in illo
tuendo devoveras & effuderas opes, ut vix
fasciam discrimina illius respirare Te non
finerant dùm ex regio (antiqui Solo Regi-
bus æmulandi amore) evocatum throno,
integro propè decennio sub frigido detine-
bant Jove ut Regium pectus Tuum unicum
labefactatæ patriæ armamentarium majore

B

virtu-

virtutum quàm hominum comitatu ubiq;
 hosti opposuisse videaris. Erubescerat ve-
 nire in conspectum Principis, continuò, dum
 Regnabat, Paludati, pridem & ornamentis
 suis & (quod acerbiùs est) libertate desti-
 tuta Minerva: sed novit Te beneficum sy-
 dus non incolis olim Tuis, sed sparsis ubiq;
 civibus, præsertim quos iniqua fors & hosti-
 lis immanitas, non voluntas avulfit, lucere, &
 ne jam ultrà erubescat, literæ illi pullatum
 substituere colorem. Accipe igitur Regum
 Invictissime temporibus accomodatum
 scriptum: cui etsi rubori est suus author:
 solatio tamen erit, quod sicut solis, ita Prin-
 cipis non excelsos tantùm montes, sed
 humillimos & palustres campos
 sæpè tegant Umbrae.

PROOE-

❧ ❧

PROOEMIUM.

Ecturusne opera pretium sim, si res, instituta, mores Magnae Russorum Monarchiae perscribam: incertus animi haereo, neque satis aut sistere calamus aut moderari tragico Stylo possum. Subit quippe animum otii literarii dulcedo, & inuisa primò honestarum Studia artium, postremò ipsa cogente magistrà servitute, amantur. Quò minùs mirari expedit, undè dolentem narrationem ordiar, quam non repetita ex commentariis veterum Annalium, per tot ambages corrupta, & genuino saepe defraudata candore ornata series dictionis, sed veri nec emorituri unquam animo impressere dolores: quasi confidentiùs ille sub oculis orbis atramenta ponat, cui priùs ex carissimis pignoribus, tanquam ex vitali venà Sanguinem misit malè propitia fortuna. Ereptas mihi necessitudines, interclusas optima patrie caritates. Spectata fraterna pro immerito capite meo discrimina: amplissimam libertatem, nullis circumscriptam limitibus, gravissimae obnoxiam servituti: acerbissimè tuli; Sed cum hostilis crudelitas illo igne quo amplissimi duo Lithuaniae & Russiae Minoris arse-

Consi-
tus ad
Milow-
ce Joas-
nis Poto-
cki, nunc
Palatini
Brasla-
wienfis

contra *runt Principatus, ingenia Poloniarum concremari &*
 Ducem *aboleri credit, ipsa suggestit infelicitas horrida & ma-*
 Gregori- *lè coherentia verba, ne aspernetur quicumq; hæc no-*
 um Gre- *stra leget incultum exulis opus, aut servilem manum,*
 gerovici- *quam antea genius liberrimæ nationis rexit. Quò*
 um Ro- *magis socordiam eorum irridere libet, qui presenti po-*
 mada- *tentiâ credunt extingui posse etiam sequentis ævi me-*
 nowski. *moriam, cùm contrâ punitis ingeniis gliscere autori-*
tas soleat; elata jam ad rogium libertati Romanæ lau-
 Tacitus *datisimus aularum magister pro monumento inscri-*
 Annali- *psit: Ac alii certè res Moscoviticas feliciorè liba-*
 um lib. 4 *runt manu, & quæ à claris scriptoribus memorata*
 cap. 35. *sunt, in commentarios retulere suos, majore scilicet*
Historiæ dignitate quam fide; dum narrata aliis aut
nimis elevant, aut plus æquo deprimunt; ego non ex
vano polliceri possum, à narratione nostrâ (quæ suo
jam insuevit exilio) non minùs abfuturum omnem in
dicendo fucum, quàm nitorem; scilicet parvo ibi aut
nullo legentibus conciliatore opus, ubi non auritus te-
stis, sed animatus interpretès partes suas peragit do-
lor. Neq; verò sub hac remotissimo axe ita inauspi-
cati viximus: aut ita nos Aquilonare exanimavit
gelu, ut mitiores præsertim in consortium non ad-
mitteremus Musas; multum accerbitatis nostræ de-
traximus.

traximus solitudini, si ingenti literæ medebantur do-
 lori, quasi jam nullum esset à literis expectandum
 præsidium, nisi ut calamus nostras leniret calamita-
 tes, Certè si non caruisset patriâ Romanus Elegio-
 graphus, nunquam verecundiùs ad fides calamitatis
 cecinisset: nunquam illa dicendi fulmina pro liber-
 tate vibrasset Magnus Tullius, nisi illum arbitra li-
 bertatis Roma brevi, sed acerbo exilio à suo remo-
 visset conspectu: non pervenissent ad nostram æta-
 tem Romani sapientis Senecæ ad benè beateq; virven-
 dum instituta, veriùs oracula quam dicta, nisi illum
 [Justum & tenacem propositi virum quem, non ardor
 civium prava jubentium mente concussit solita] exi-
 gua prius insula exulantem inclusisset; ut constaret
 posteritati tardè aliquem ab antiquo orbe boni aut sa-
 pientis Viri suffragium tulisse, quem priùs sua exula-
 re non coegit virtus. Quanquam interdum occur-
 rat menti eos optimè miseras ferre qui abscondunt:
 nec ullam esse tam familiarum infelicibus patriam
 quam solitudinem & status oblivionem prioris: mihi
 tamen res Moschovnicas dicere aggredienti, non
 cum infelicitate tantum mea, sed cum puriore sæpè
 stylo luctari necesse erat; scilicet ut ab omnibus re-
 bus, ita & à libris minime instructo. Hinc est quod

Uit Li.
 bri Tri-
 stium &
 de Ponto

nec vnt-
 tus imo
 minentis
 Tyranni.

Curtius
 de Vita
 Alexan-
 dri Lib. 5

nec præfari, nec præmonere legentes diutiùs velim:
 multum scilicet in æquo Polonorum collocaturus judi-
 cio, nec ignarus meorum lachrymas non tam celeriter
 inaruisse: à quorum oculis rudis nostra narratio aut
 limam expectat aut censuram. Securus tandem de
 animis posteritatis scribam, si ea parte orbis, ea in
 calamitate positum tunc consideret: nec tamen iniqui-
 ores confido me vitaturum voces; cum nulla sit et-
 iam regnatricis in orbe Majestas, quæ perin-
 de possit animis imperare ac


Lingvis.

PRIMA

PRIMA NOMINIS & GENE-
RIS ORIGO.



Initium parvis magnisq; civitatibus commune est: antiquam generis sui claritatem, ad prima nascentis quasi Orbis incunabula revocare: ut in hac rerum planè caligine Aborigines potiùs dixeris quàm ex hominibus natas. Vsq; adeò versatilis orbis est: ut sua illius incolis rarò constet origo; & plectitur non tam suo quam alieno merito Historicus, sivè id asserat quod sibi nimis quam credulus populorum persuasit consensus: personatus & simius est; sivè magistræ veritati magis quàm circumforaneæ suffragetur auræ: malevolentia illi nomen metuendum est. Hinc est quod nihil ex meo ingenio de origine Aquilonaris Monarchiæ adscribam: cùm præsertim nihil tam in orbe libretur quam liber; & illa demùm non civilis prudentia, sed inanis profluentia & morbus haud se retinentis ingenii appelletur, quæ sinè omni parsimoniâ narrationum largiùs ex his reconditoribus arcanis vetustatis, totum scribendi genus delibarit. Antiquissimi mortalium piacularibus aquis, quæ lascivi quondam



vide Sleidanum de Quatuor monarchiis Mathiæ Strycovium Alexandrum Guaquinam.

dam orbis incendia extinxere, sua principia debent proinde nec illi imponunt posteritati Europæ Sarmatiæ scriptores, qui Moschovitarum nomen à Moscho Iapheti filio Noemi nepote deduxere. Partiri inter sæcula felicitates vel naturæ mala Divinarum sedium assistricem Sapientiam credibile est: ita primæ ætati; quot primogenitorum in plerisque regnis ejus est: pro hæreditate nullis adhuc depravati judicii artibus libata obtigit veritas; ad nostra tempora quæ juniorum pessima fors est filiorum, pro optulento patrimonio, sola tantum cum longâ calamitatum serie transierunt imperitorum hominum commenta. Quippè facillimè ibi obrepere potest fabulosa narratio: ubi continuum literis bellum est indictum, atq; ut ad cultiores Europæ diverterent partes aditum illis omnem præcludit ignorantia. Documentum Vicinis populis: quàm tempestivè Viris ad Magna & præclare gerenda natis ineundum sit cum literis fædus; ut sicut bellatrices dexteræ prorogare fines Imperii norunt quos tamen eripere aut eripi promiscuum est: ita eruditæ literatorum hominum manus, quæ solæ deploratissimos etiam mortales, ab omni ferreâ supra humanam memoriam Tyrannide vindicare possunt, posthumæ provideant immortalitati. Certè vetera barbarici nomina ultra Sauromatas & glaciale Oceanum

(tum

(tum quidquid, quasi ipsa exhorresceret Natura, in suis reconditisimis retinuit latebris) hæc inquam, luci reddere, quibus tanta est obducta caligo, aut nimis sibi præfidentis animi est, aut hominis multum pollicentis, parum præstantis procul dubio diceretur opus. Primus itaq; Vladimirus Suan-
 toslai filius Rusficæ conditor Monarchiæ, sicut Ro-
 xolanæ gentis insveta colla submisit cælo: ita &
 orbi innotuit, dignus præterea visus, cujus belli-
 cam virtutem Imperatorum Orientis Basilii &
 Constantini cumularet affinitas, cum & ille supre-
 mo Monarchæ tantam sobolem ex sacro fonte
 renasci voluisset. Sed fraterna disfidia filiorum
 Vladimiri, quos duodecim reliquit, ut hanc vix
 non maximis æquandam Monarchiam laceravêre,
 & sanguine polluêre suo, ita deindè didicit alieno
 posteritas malo, Regnatrici Domui, si numerosior
 obtigit proles, lætandum esse, quod pluribus insitat
 munimentis, dolendum tamen non minùs, quod
 sicut divisirivuli exsiccant magna flumina, ita divi-
 sa inter Regnantes sceptramagnitudinem exhauri-
 ant regnorum. Cæterùm sicut Rusfiæ minori,
 (cujus cis Boristhenem & Thiram fluvios exten-
 ditur amplitudo) recessisse ab Aquilonari Rusfia
 (quam Moschoviam vulgo dicimus) perniciosum
 erat: ita Aquilonari Rusfiæ hanc militaris forti-
 tudinis palæstram, vicinitate ferocissimarum gen-
 tium

*Vide
 Cæsarem
 Cardina-
 lem Ba-
 ronium
 in Anna-
 libus Ec-
 clesiasti-
 cis circa
 annum
 990.*

tium ad bellicos labores & durissima perferenda
 obfirmatam, deseruisse, nocentissimum. Ut mi-
 randum non sit, si retróactis sæculis Moschoviti-
 cam gentem eò sua redegerit calamitas, ut Ma-
 gnus Dux frænum Scythici Legati tenere coge-
 retur, qui nostrâ jam ætate frænum injicere suæ
 non didicit cupiditati, & quasi servili illo pocu-
 lo, quod olim obsequentissimâ porrigebat ma-
 nu, inexplebili propinaret siti, hætenus etiam
 humano illam extinguere sanguine non potest.
 Scilicet inauditâ rerum vicissitudine, ut modo de-
 bellatarum gentium cadaveribus ad aliena solia si-
 bi viam insternat, qui antea tantùm pretiosiores
 pelles pedibus Scythicorum legatorum, indelebi-
 li suo dedecore, substernebat. Hæc eo potissimum
 animo in commentarium retuli meum, ut intelli-
 gat sæculum, nullam esse adeò projectam gentem,
 nullum adeò viribus suis destitutum populum,
 nullum tam inops aut vile regnum; cui ab auxi-
 liatrice Divinâ ope, à virtute suorum incolarum, à
 meliore aliquando & minùs noverca fortuna, ali-
 quid majoris non accedat felicitatis: Sicut nul-
 lam ad tantum fastigium pervenisse nationem, nul-
 lam adeo, quasi in sinu ipsius prosperitatis excuba-
 re Monarchiam, nullum tantùm de viribus sibi
 polliceri Imperium, cui ab inconstantiâ fortunæ,
 quæ propitiâ dexterâ imponere coronas, furaci si-
 nistra.

nistrâ detrahere consuevit, non sit metuendum. Excusfit tandem hoc servile jugum, à Scythis, maximè trans Rham (antiquis Cosmographis Sclavonicè Wotham fluvium dictum) degentibus majoribus suis impositum, incomparabilis Ioannis Basilidis, Primi Magni Ducis fortitudo, & ab illo gens ista, suo rigidior Aquilone, si non mansuescere, quis enim belluina pectora erudiat? certè ab illa barbarâ feritate ad civiliorem vitam transire cæpit; etsi difficilimè cum illo hominum genere agas, inter quos Princeps cogitur esse quasi coronatus sicarius, aula fit veluti gladiatorum arena; legum demùm tabulæ cervices subditorum sunt. Neq; ibo insitias, Magnorum fortè Virorum has Provincias fuisse aliquando feraces. Possunt enim ibi, etsi rarò, pullulare virtutes, ubi tam fertilis enascitur messis vitiorum. Sed sive temporibus illarum dicendis defuère decora ingenia, sive meritisimum hoc sibi deposcunt supplicium Christiana regna, ut sicut illi ab omni Europæo abstinent cultu, & hoc etiam totum quidquid eminent pro vili dicunt; ita hac publici odii victimâ litent posteritati, quæ cujusvis pervicaciam optimè ulciscitur, dum silet. Hæc illa sunt literarum arma quæ nulla Tyrannorum eripit laniena: nulla servitus adimit: hoc habent conservatrices præclarè factorum literæ supra bellicas artes: quod etsi arma

nonnunquam inermia sint, & ferrum minimè ferrum aliquando hebescat: à literis tamen expectant regna vitæ vel interitus sui in omni posteritate decretoriam manum.

Contigit hæc interitus literarii infelicitas Aquilonari Monarchiæ, ut libeat illi acclamare, quod olim ruderibus suis consepultæ Græciæ, quasi pro mortuali leſſo Romanus cecinit Vates.

Horatius.

*Vixere fortes antè Agamemnona
Multi. Sed omnes illachrymabiles
Urgentur ignotiꝰ longa
Nocte: Carent quia vate sacro.*

RELIGIO & Ejus Cultus.

QUò parcius de Religione Moschoviticâ, & omnium ulterioris Aquilonis incolarum scribam; ipsorum vitæ rationes, ab omni purioris Religionis cultu remotæ oblitère. Cum propè etiam norim, acriter & penitiùs de Religione, præsertim alienâ, quærentibus, optimè responderi non respondendo. Mystèrium antea Religio erat, nunc ars haberi cæpta: & ille supremus rerum arbiter, humanis non circumscriptus cancellis, multorum declamantium in scholis, otiosorum (quod dolendum) in circulis est argumentum. Quid enim ego Divinam scientiam, quæ humana excedit ingenia

genia, ut rem incertissimam, in dubium vocare audeam: quam si firmissimè non tenuero, æternis procul dubio suppliciis luam. Nam Vicaria Dei olim sancivit Majestas, Credere jubemur, discutere prohibemur.

*Innocent.
III. in
Bulla.*

Tota hæc Monarchia Rusiæ, quibuscunq; ditionibus nomen suum extendit, & quàm latè patet, Græcos ritus & sacra, quæ ab urbe Constantinopolitanâ, sub Vladimiro (ut sci ipsi) Monarchâ, Basilio & Constantino in Oriente imperantibus, Anno Humanæ Salutis Nonagesimo supra Nongentesimum accepit, hætenus etiam firmiùs an pertinaciùs, retineat, ignoro. Sed Moscovitica Rusia, ut quasi religiosius suis operetur sacris, & ne fucata etiam Religioni sua desit Majestas, popularem sacerorum Antistitem, quem commentitio nomine Patriarcham vocat, ultrâ omnes quatuor Patriarchas Græcos agnoscit, ex nutu Principis, vel tantæ dignitati destinandum, vel certè, si levissimæ impellant rationes, amovendum. Hic summo apud illos quasi fungitur sacerdoti, & in sacro regimine Vicarias Dei partes, (si ita superis placet) in terris illorum gerit: miro tamen erga Principem obsequio temperatas, ne vel propriâ in Domo supremum hoc fastigium inumbret, vel ne vetustissimam populus exuat opinionem, qui Principes suos ut ob-

sequentius veneretur, multùm ex Divinitate trahere felicitatis aut virtutis irreligiosissimè credit.

Anno
1658. Præbuit nuper materiam sermonibus in Vrbe, etsi omnium gnarâ, omnia tamen reticente, seu voluntarium exilium, seu occultâ offensi Principis irâ, coacta abdicatio Niconis Patriarchæ; certè (ut sunt facti naturâ, & consuetudine exerciti velare odium fallacibus blanditiis) mirum ab utrinq; simulationis & disimulationis certamen. Invaluerat eò provectora Patriarchæ, non jam nascendi sorte, (Vectore enim conductitio seu Morduensi Scytharum afferunt) vel affluentia opum, sed dotibus animi, tanto magistratu dignis, & non tam institutione, sed quantum barbara gens capere potest, prudentia, pietate, aut pietatis imitamentis, prono tamen in rem Catholico-Romanam affectus quaesita potentia, ut palam observarent seniores & quibus abditos sensus Principum rimari mos est, Patriarcham olim Philaretum, moderni Principis avum, non Patriarchali tantùm, sed paternâ auctoritate subnixum, in eo regimine, magis se intrâ limites canobrica modestiæ, (ab his enim religiosi umbraculis ad eam dignitatem assumuntur) continuisse. Hinc multa ille sine Principe, formandis præcipuè moribus, vindicandæ sacerdotali immunitati; (cujus injurias acerrimè ultum ibat) tulit instituta, non suæ tantùm convenientia dignita-
ti,

ti, sed quæ privati excederent modum: Princeps sine illo nunquam vel cogere Senatum, vel vocare tribus, vel bella indicere, vel imponere tributa, (& quidquid sub nomine Iurium Majestatis latet,) audebat, aut audere videbatur. Uterq; mensuram non impleverat tantum, sed excesserat, & Princeps quantum tribuere, & ille quantum à Principe accipere posset. Sed fortè satietas utrumq; cepit, sive hunc fortunæ, supra privatum culmen sese attollentis: sive illum nunquam diuturnæ, & raro in aulâ senescentis potentiæ urfere fata. Modica irritamenta accesserant doloris, dum enim Princeps Regulum Colchorum, seu Georgianorum, Persicis armis extorem lautissimo accipit convivio, exturbatus triclinio mensæ Patriarchalis structor seu Domus curator, quod non eo cultu, quem & Principis, convivium exhibentis, & Reguli hospitantis dignitas requirebat, comparuisset, publicorum odiorum in longum jecit & accersivit causas. Vigesima Julii die Patriarcha operatus sacris, detractâ mitrâ & amplissimæ insignibus potestatis, cathedrâ & urbe excessit, uno tantum comitatus cænobiticæ Vitæ & arcanorum suorum conscio, nunquam frequentius concurrente urbana plebe & mirante, eò redactam proximam Principis fastigio dignitatem, & evolutam, non sede tantum sua, ed regimine magnorum populorum,

lorum, quos inanis magis opinio Sanctitatis, quam conciliatrix debitæ venerationis vetus disciplina regit. Diu tamen, etsi propinquo rure & solitariâ Eremo se contineret, speciem magis quàm vim gratiæ in animo Principis retinuit: donec evocatis ingenti Principis sumptu Alexandrino & Antiocheno Patriarchis, accedente synodali omnium Metropolitanarum & Episcoporum Rusiæ consensu, (quorum tamen sensus Principis inclinatio in hos, offensio in illos optimè conciliaverat, ut taceam venalem & adstrictam mercede Patriarcharum mentem) Patriarchali prærogativâ exauctoratus, circa Calendas Decembres 1666. & Pheraponti canobio, milliaribus ab urbe principe fermè centum distante inclusus, documento seræ posteritati erit, quàm malè convenient, nec in unâ sede morentur Sceptri Majestas, & Pastoralis potestas pedi: quam acephala, sive mutilata Regna sint, quæ thiamam sacri honoris coronato subjiciunt capiti, non consuetudini tantùm Christianorum Regnorum, sed Mosaicæ, à Deo institutæ refractaria legi, quæ ad simbriam Sacerdotalis vestis aurea mala punica, fabrefacta in modum coronarum, quasi tributaria appendit: quàm deniq; Providentia Divina, rigidissima conculcatæ Ecclesiasticæ, etsi parùm sinceræ, Christianæ tamen, ultrix potestatis, ab illa secessione primùm, deindè exauctoratio.

Exod.

cap. 28.

oratione Patriarchæ, nihil prosperi Magno Ducem induerit, cum ferociore recesserint ab obsequio illius Scytharum gentes; vix non Ducali sanguine efferatæ rabiei suæ litaverit abjectissima multitudinis colluvies, nobiliori cruore hostiles toties redundarint campi, (sed ut compendio scribam) nihil fidum speretur in eo regno, in quo male credita sacra indebita, quia non sacra, tractantur manu.

Cæterum si inanis & antiquæ superstitioni magis quam Christianæ religioni æquandus abesset cultus, tanta est moderni præsertim Principis Alexii Michaelovitii in sacra & sacrorum Mystas liberalitas; tam verè Imperatoria in extruendis sumptuosissimis templis munificentia; tam continuæ & planè cænobiticæ, obortis etiam lachrymis, ad Mausolæa Indigetum & tutelarium suorum (quos inter Divos vulgares potius & circumforanei rumusculi, quam illa Ecclesiasticæ Majestatis oracula retulere) supplicationes, ut illum erroneo hoc etiam ritu Divinum sibi propitiare Numen verisimile sit. In sacris ædibus antelucanus quotidie comparet, etiamsi vel bellica urgeant itinera, si religiosior illuxerit dies, non rarè pernox: cum tamen purioribus Dei cultoribus ad medium stertere diem, ut non infrequens ita non sit indecorum. Certè etsi non ab hoc exemplo, tamen ex hoc armamentario

D

pietatis

*Curtius
de Reb.
Alexan.
dri Lib.
5.*

pietatis princeps muniendus est: nisi etenim hæc illi suppetant firmiora præsidia, nescio quomodo minus cupiditatibus suis imperat inter obsequia fortunæ, contra quam non satis cauta mortalitas est. Longè dissimilis popularium in religione cultus: quorum felicia scelera, quia impunita, suis fucata superstitionibus sæpe Religio texit: atq; ut omnium somnos Principum vigilantia custodit, ita hic regnatix pietas (si eo nomine alienus ritus appellandus est) pro sacrilegâ & nefariâ populorum excubat superstitione. Plurimum hic effertur animos magis religionis opinio, quam ipsa imbuunt religio: esurialibus diebus, quos Christianis moribus antiqua præscripsit consuetudo, frugalitatem eorum in cibis magis in ediam dixeris, aut continuam famem, cum tamen ad tantam continentiam rarè sicca nonnullorum pietas accedat. Nec video certè cur domitam gens ista magis habeat non sumptuosam & rigidius tenaciorem famem, quam insatiabilem humani sanguinis aviditatem: cur intra terminos antiquæ parsimonie promptius coerceat sua desideria, quæ levi utiq; & parabili victu quodvis explere potest epulum, quam immortalia planè, nec ulli paritura unquam rationi contra externos odia, quorum aliena infelicitas lautissimum & optimè conditum obsonium est. Scilicet sicut recens fortuna multorum ipsius invidiæ

vidiæ oculos cæcutire facit: ita humanam aviditatem perspecta aliena calamitas esurire vetat. Tanta frugalitati, par propè accedit liberalitas in egenos genti Rufforum familiaris: nisi fortè nocentius sit, principi annuis vectigalibus publicam quasi imperare egestatem, quam non magno forsitan impendio privatae aliquorum inopiæ consuluisse. Ita sanè in liberalitate Principum calamitosæ paupertati aut afflictae valetudini per fugium est: Sicut à tumultuariâ malè sani Principis ambitione, aut avarâ mente, inopia, malorum agmen, & reliquæ humani generis pestes orbem aliquando implent. Quot inanes regnorum spes aut luctuosæ spolia fortunæ Tuæ detraxisti cupiditati, ô Princeps: tot receptacula humanis claufisti malis, cum præsertim nesciant sanguinari regnorum emptores alio pretio, quam sanguine licitari coronas, aut verè fascias, sistendo tantum sanguini vel detergendo inventas. Quot victimis à primâ orbis infantia tibi litatum est, innoxia nec avida unquam cruoris Religio: quot acies veluti in gladiatorio spectaculo sive finistrè posteritati tradita, sive rigidius culta pietas commisit: Libet intueri hanc magnam Europæ aut orbis totius scenam: nunquam frequentius bel- *Vide Hic*
 lorum quàm ab inermi Religione classicum est. *Historico-*
 Sed pressum hoc multorum vestigiis iter diutius *Politici*
 premere, aut de corrupto sæculo quari ejus est, qui *Quest. de*
 sibi *Religion.*

sibi ex suo nutu audet disponere fata: ignarus, tristem illum ferre de mortalitate sententiam, qui continuis querelis, cum mutare non possit, auget sibi mala. Impia bella vix non totus suscipit orbis, & multa regna, quasi jam immineant ruinae, quærunt cum quâ gente cadant, irrito scilicet discrimine, anhumano sanguini parcant, quæ cum contemptu religionis adversus superos fuerant grassata. Nimirum deplorari hæc possunt, sed avertere illa tantùm arcanorum suprema arbitra consuevit Majestas: nec primo hoc sæculo conjurata in nostrum caput ruunt calamitates, sed personis mutatis res & eventus iidem recurrunt: tam diu scilicet ibit hic disfidiorum in se remeantium orbis, quamdiu ipse stabit orbis.

SERVITUS & AFFECTUS.

Nulla gens projectius servit quam Moschovitica, cum tamen homini ingenuè nato & educato, optabilius sit ut eripiatur vita, quam libertas; nec ulla regnatix in orbe domus gravius imperat; cum alibi minus verè, hic aptissimè occurrat, non utiq; mali servi apud pessimum. Dominum tolerabile dictum: Non est nostrum quærere, quibus aliquem de causis extollas; Tibi summum Imperium Dii dederunt, nobis obsequii gloria relicta.

licita est. Inter gravissimos luctus domesticos non ex animi conscientia, sed ex nutu regnantis affectim rident; affectibus humanis (quibus nihil liberius) leges ponunt: conjunctissimos sanguine jussu principis interemptos lugere nefas: cum tamen in hac tetrâ cordium humanorum Tyrannide nocentius sit Majestatis læsæ, quam naturæ spectari reos. Vidisses in excidiis arcium & Urbium Rusiæ Minoris remotissima inter conjuges divortia: abstractos ab uberibus Matrum infantes, nonnullos dum inhiant uberibus maternis, recepisse ferrum: nonnullos pendere ab ubere Matris nondum mortuæ, nec jam vivæ: plerosq; dum fames exiguamurgeret vitam, cadaveribus Matrum admoveere ora, & sanguinem sugere pro lacte: ad hæc tamen ingemuisset, hæc non sicco aspexisset oculo, parentibus aut necessariis crimen erat, si non morte, acrioribus tamen vinculis piandum. Et certè quod in pari exidio vetus Historia dicit: Inerat debellatis tacitus mæror & luctus, verentibus ne ipsæ lachrymæ pro contumaciâ haberentur. Crescit enim disimulatione ipsâ dolor, hoc altius demissus, quominus profiteri licet: Expressa hic ad amussim Romani regiminis sævitia, quam pro inaudito, ut putant, crudelitatis exemplo orbis legit: in funeribus (inquit) parentum suspiria & gemitus civium subscribebantur: nulla plenior exploratoribus aula:

Justinus
Lib. 8.
in Com-
pendio
Pompeji
Trogi.

nullum abundantius delatoribus forum: nulla cumulatior adulatoribus curia: Romanæ Tyrannidis vestigia recurrunt, & magis alii homines quam alii mores. Libera vox probrum, dicenti exitium, vix ore profertur cum per jugulum redit: si quid præclarè dixeris vel gesseris, sola tantum præclari fati solabitur gloria: plures hic jam sella curulis, & Senatoria Libertas extulit ad sepulchrum, quam duodecennale propè bellum in acie confecit. Nec principi diu licet esse miti; certè si in aliis regnis metus non est diuturni Magister officii: hic optimè pro Imperatoria Principum suorum excubat Majestate. Vulgus militum obsequio promptum, jussa principis vix non anticipat obsequentissimâ dextrâ: non raro princeps prius aliquem interiisse audivit quam voluit: non raro neq; jussisse neq; voluisse dicet, & consilii rationem reddendam apud Senatum, irritò scilicet eventu, promittet. Lachrymas in potestate habent, & tanquam Crocodili post exitium flent cum volunt, quas sæpè personata pietas aliquando per nox extorquet. Ritus parsimonia summa, nisi cum aliena calamitas spectata, movet risum barbaro, magis ululatu quàm lætitiæ propiorem, & suæ quasi crudelitati immixtum. Ut Poeta canit:

Ovidius
Meta-
morpho-
seos lib.
secundo.

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Vul-

Vultus ab animo longissimè disfidet: blandiri & applaudere, ut alienæ imponant sinceritati, impudentissimè norunt; & quod nocentissimum inimicorum genus, quem oderint clam, palam laudant. Sævitiâ malè tegunt, quam etsi pessimum humani affectus venenum, sua utilitas aliquando velat: ubi tamen nulla affulsit commodi spes, ut genus humanum unius quasi cervicis sit, barbaro quodam voto optare videntur. Beneficiorum obliviscuntur statim, injurias nunquam; ut planè huic hominum generi

Si quid benè facias, levior sit plumâ gratia :

Si quid peccatum est, plumbeas iras gerant.

Plautus
Comicus.

Inimicitias quasi immortales, & certamina potentium, extinctis etiam integris stirpibus nunquam cessatura, nulla frequentius spectaret aula, nisi hanc sanguinariam mutuae cladis quasi lanienam supremæ Tyrannidis supplicia coërcerent. Diceres hic aut gladiatorium ludum, aut vetus spectaculum quotidie dari, ita atrium principalis aulae vix non continuo sanguine perpluit: gravissimi perstreperunt ictus, ejulatus circumsonant miserorum, dum crudelissimè flagris cæduntur, quoscunq; sibi publica Iustitia obnoxios fecit. Sed nullibi innocentiae humanae à solertissimâ calumniâ periculi plus, ab Iustitia præsidii minus est: Plerosq; aut indulgentior

gentior fortuna, aut liberalitas Principis saginat tantum, ut jugulentur: in magna etiam nomina, clandestinae abjectissimi cujusque accusationi multum permissum, cum plerisque nulla nocentior interitus causa sit, quam vocari probum. At verò privato majores opes, irritamenta malorum, quos non evertère? raro hinc aliquis vix non ex compedibus causam dixit, quem nullum crimen, sed copiosior tantum res nummaria Principi sistit reum: cui malo ut tempestiva pararent remedia opulentiores cives, ultro jam, nec accersiti, Principi suas devovent diu quaesitas facultates, aut (abundet etiam si liberis domus) testamento hæredem Principem scribunt, & lætatur iudicio Princeps, ignarus a bono Cive non scribi hæredem nisi malum Principem.

*Tacitus
in Vitâ
Agricolæ*

Nihil excedam narrationis nostræ metas, si quemadmodum Anno Sexagesimo primo, supra Millesimum Sexcentesium, ingentes planè & invidiosæ Primatis, & quasi Principis Senatus Borisi Ivanovicii Morosovii opes, (postquam fati cesserat) ærario Ducali fuerint illatæ, memoraverò. Admoverat hunc vetus, & regnandi artibus erudita olim Magni Ducis Michaëlis Federovitii prudentia, formandis non tantum moribus impuberis Filii sui, moderni Ducis Alexii: sed intimo etiam, intra solius conclavia Principis sacratori Sena-

Senatui, qui honos penitioris & obsequii, & familiaritatis est auctoramentum. Sed sublato communi mortalitatis nostræ necessitate Patre, etsi difficile est successori placere, & in aulâ multis non minus expectandus est gratiæ interitus quam vitæ; rerum potitus modernus Dux Alexius Michailovitus, omnes in unum Borisovium imperii curas partiri, & molem tantæ dominationis inclinare cæpit. Hinc prægravante eum invidiâ, parum absuit quin populari odio sanguine suo litaret, omnia quæcunq; secus in novo, & nondum benè coalescente imperio contigerant, uni Borisovio impuniti. Superavit tamen has populares procellas inconcussa, & uni Borisovio sine offendiculo illibata Principis tenerrima amicitia, tum illius rara, & Rufforum genti incognita felicitatis suæ moderatio, quasi unus ille didicisset retinere, quod est difficillimum, ex indulgentiâ Principis modum. Tanto regimine firmata, in immensum excrevit opulentia, ut sint, qui aliquot myriadas Imperialium talerorum, celeriore non diuturnæ potentia quam ætatis cursu, Borisovium congesisse & coaceruasse existimarint. Neq; stetit citra ultima Borisovii Principis amor; tanto luctu & comploratione Principis elatus, ut facile conjiceret, nutritum, quasi suum, & primæ moderatorem ætatis efferri; additæ effusissimæ in egenos largitiones;

E

quid-

quidquid tamen splendebat in opulenta & copiosa Domo, thesauris Magnorum Ducum est adjectum: sive ut ad eundem fontem, undè emanaverant Principis munificentia, paratae divitiæ redirent: sive quòd degenerem, & tantæ fortunæ minus capacem perspexerat nepotem, procul dubio non tam prodigâ, quam inertî vitâ, tanta corrupturum bona.

Cæterum (ut eò redeam undè digressus sum) innatus genti fastus humanam excedit opinionem; & cum fermè cultiorum Europæ nationum avertentur commercia; nunquam alienæ potentiæ submittit fasces nisi coacta: quasi hoc maximè inter sua reponeret trophæa, Majores suos nunquam externo capiti imposuisse coronam: nullam subjectarum sibi gentium expertam esse peregrina imperia, nullis unquam nisi domesticis regibus paruisse. Inter ambitionem & avaritiam illorum vix discrimen est: ut jam videantur minus auxilio ferri indigere, cum avidè expetant opes, & abundant auro: has pestes auget continuum invidiæ malum, dum semper suæ demptum gloriæ existimant, quidquid accedit alienæ. Nempe invidia

Justinus
lib. 38.

Ovidius:
Lib. 2do
Metamorpho-
seos.

*Dum videt ingratos, intabescitq; videndo
Successus hominum, carpitq; & carpitur unâ
Suppliciumq; suum est,*

A mer-

A mercaturâ nobilior etiam fors nascendi non abhorret, generis claritatem cum quæstiosa nundinatione suâ utilitas pulchre conciliat. Nisi enim anniversario lucro utrumq; exercerent elementum, parùm vel ab agriculturâ, vel ab aliis redivis, cùm auri & argenti fodinæ nullæ sint, suppeteret facultatis. Quippe tantò quis copiosius fortunam suam auxit, quantò plus cupiditati & sumptibus detraxit: & illa demum Respublica plerumq; opibus affluit, quæ multas exportat merces, nec carò venatur alienas.

OPES & JUSTITIA (ut vocant) DISTRIBUTIVA.

Mifera est magni custodia census: verius æstimator orbis, quàm Satyricus urbis canit. Juvenalis Satyrâ quartâ.

Quærendis opibus quas non impenditis curas, & sollicitudines, ò Principes! custodiendis quas non circumponitis excubias, quæ non sanctiora destinatis æraria! amisissis aut creptis quo non parentatis dolore! Ipsa jam ferrea hebescere videntur parandæ humanæ cupiditati instrumenta, dum scrutando in ultimis terræ visceribus non sufficiunt auro. Sapientissimè ille, ut omnia, Aurum & argentum, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quæ naturæ conditor DEVS, tanquam malè

nobis committeret, abscondidit, nos in lucem proferimus, certissima auctoramenta nostrarum servitutum, nec erubescimus summa apud nos habere, quæ ima terrarum fuerant.

Nunquid numerati montes, modici Indiarum fluvii, exigua felicitis Arabia arena, tot gentium aut ditare inopiam, aut implere manum, aut demum poterunt extinguere sitim? Nimirum ideo divitiarum cupido est, quia & usus: atq; utinam mortalibus moderatio & abstinencia auri foret, profecto non tantum bellorum per tot sæcula terris continuaretur; neq; plus hominum ferrum & arma, quàm naturalis conditio raperet factorum. Difficile custoditur, quod tanto sanguine paratur: ut dubitare possim, an satius sit carere tot curarum causâ: quam hæc viva cordis avari nutrire supplicia, quæ te firmiter sepulchro includere possunt, quàm tu illa malè tenaci inclusisti arcæ.

Gemmæ & margaritæ maritimarum (ut alibi scripsi) vermium cubilia, seu reclinatoria, opulentia nomen obtinuerunt, & ditescunt his terræ, quas antea rude & innoxium sæculum ignoravit; sed postquam vitiorum commercium vulgavimus in orbem, æstimantur purgamenta æstuantis freti, pretio, quod libido constituit & luxuria nostra nomen dedit. Quid jam tutum & immune ab indagatrice avaritiâ est, si profundissima maria late-

Justinus
libro 2do

Historico
Politicus
Quest. 1.

re non possunt? quod non effringet armatâ hominum egestas reconditorium, si ultimis suis limitibus malè se tuetur natura: quid cumulas opes tantis circum sepsisti præsidiiis, si humanam potentiam arces & excludis? tempori jus est in aurum, nam nec ille suo superstes mansit auro, cui triginta mulorum millia captivum vexere aurum. Hæc nimia opum affluentia præstat de paupertate securum Rusiæ Aquilonaris Monarcham, si ea demum securitas est, quæ tantum sibi bonæ mentis detrahit; quantum pecuniæ ex sanguine provinciarum aut lachrymis aggescit. Vectigalia subjectis gentibus imponit, quanta ratio bellorum requirit: nullum generis aut fortunæ discrimen est: ab omnibus exigitur, quod omnium impenditur tutelæ: cum præsertim neq; quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq; stipendia sine vectigalibus haberi queant. Summæ ærarii præfecturæ aut quæsturæ neminem ex magnatibus admovet: temporaneum hoc & translatitium munus multorum est ex gregariâ nobilitate. Quorum alterum efficit, ut frænum humanæ injiciat cupiditati; cum nihil tam intersit benè constituto imperio, quàm brevem esse potestatem, quæ magna præsertim & quæstuosa sit: alterum ut nemini desit luculenta exercendæ industriæ ratio, dum annum hunc,

Alexander Magnus.

*Livius
Decade I.
Lib. 4.*

do rediturum sperat. Hoc certè in illaudatâ laudatissimum gente: nihil hic ambitioni pervium, nihil auro venale. Curia indè dicta est, quod in illa curæ excubent, ut aliquis effuso pro principe sanguine, quàm vili nundinetur auro. Non hic muneribus corrumpi aut corrumpere sæculum appellant: nemo hic beneficiis regum tanquam mercibus præsidet inexplebilis cupiditatis quæstor, nemo pulcherrimæ in rebus humanis rei, id est, emptitio lenocinatur honori. In aliis regnis sæpè multis carò stetit sua virtus, quasi avara hominum judicia omnem stateram recusent, cui à nummo, ejectamento scilicet terræ, suum pondus non accessit: hic supremus meritorum arbiter princeps, non per immodicas largitiones ærarium exhaurit, ne per scelera supplendum sit, sed ita dextrè neminem à suâ excludit liberalitate, ut rarò hic aliquem, præsertim externum, suæ pœniteat fortunæ. Obrepsit tamen posterioribus annis, ut reliqua corrupti sæculi mala, ad hanc aulam (sicut plerumq; advectitiæ merces solent) hæc etiam labe, ut plerumq; promiscuè vendant & emant quosvis honores, avaritiâ magistratum & ministrorum status, non Principe licitante. Rarò tamen impune eam prædam asportare licet, & acrius ferè venditor punitur quàm emptor, sive quod tolerabilius sit emere præcipuum humani generis bonum,

bonum, honorem, quàm precium ponere tanto virtutis ornamento, quod aura publici applausus comparare consuevit, non aurum. Certè vix non tredecennalis docuit experientia, deterrimos in hac aulâ honorum mercatores, aut fortunis exutos, & in remotissimas amandatos oras, pœnas luissè profligatissimæ nundinationis, aut prolem illorum vix traxisse vitam, & totum id celerrimè prodegisse, quidquid certatim accumulaverant emptrices populorum manus. Sed Moschoviæ Principis sicut annui redditus circumscribi non possunt: ita difficile est inire rationem largitionum suarum, cùm nesciat semel incitata liberalitas stare, cujus pulchritudinem Principi usus ipse commendat. Præfecturas biennales aut triennales, ut olim Romæ Proconsularia imperia, illis tantum attribuit, quos vel bellica virtus, vel perspecta probitas, vel consilii maturitas insignivit. Cæterum opes privatorum in manibus Principis sitæ sunt, quorum potentiam & audaciam hæc potissimum exarmavit ratione, ut hæctenus nemini in arces & oppida munita hæreditarium jus habere permittat. Divisum etenim imperium Princeps armatâ cum nobilitate sive multitudine habet, quasi precariò demum is regnet, qui etsi in moderatori necdum Tyrannico Imperio, dum hæreditaria non adimit propugnacula, ipse non rarò animis, ad supremam

contumacibus potestatem, veluti nidum struere videtur, aut quod arcere debuerat, civile incendi-um regnatrice accendit manu. Neq; hæc ars regnandi univèrsa complectitur regna, sed in plerisque; fiduciariis sive feudatariis (ut vulgus vocat) Italiæ ditionibus, nostrâ ætate unus e Regnantibus eam legem, ne tributarii Principes aut nova excitarent præsidia, aut temporis injuriâ collapsa restaurarent, vix non domestico sanguine sancivit. Excudit hic ferocissimis etiam gentibus ferrum obsequium in Principem, & æmulandi amor, utraq; validiora, quàm pœna ex legibus, vel metus. Scilicet vilescit apud illos subditos pro incolumitate Principum proprii parsimonia sanguinis, qui ne-riquam superesset, nisi illum beneficentia Regnan-tis nutritisset. Documentum principibus, eos etiam civilibus aut servilibus motibus omnem intercludere aditum dominantes, qui humanæ in-digentiaæ suam non oclusere liberalitatem. Pro-nius currunt contra ferrea tela hostium illi, quos continua urbium expugnatrice, aurea Imperatoris impellit manus. Numerata militi stipendia, vix non denis asibus in dies corpore æstimato, emunt bellatoris vitam, & tamen ex hac sanguinariâ qua-si nundinatione plures inde natas cicatrices repor-tant domum, & truncos ostentant artus, quos to-ries Principis salutis tuendæ impendêre. Sed me-mine-

minerint Principes, nutare quamlibet in capite Regnantis coronam, cui à fortitudine militari, e-meritis cumulatâ præmiis, fulcrum non accessit.

LEGES.

IN optimis tantum Rebuspublicis potentio-
ra sunt legum quam hominum imperia, ex-
lex Tyrannis ex temporum aut morum in-
genio condere vel abrogare leges consuevit. Le-
ges brevissimas esse, & paucissimas, quæ jubeant,
non disputent, voluit antiqua Stoa: in hac Aquil-
lonari Monarchiâ leguntur nullæ, nisi quas supre-
ma vitæ & necis arbitra præscripserit dominantium
libido. Principio rerum aureum ideò sæculum
appellarunt Majores, non quòd opulentius, sed
quòd innocentius fuisset, quò enim illa spectaret
opulentia, si nondum humanis usibus aurum
sua raritas commendaverat: Si nondum quâ parte
ruberet terra in Carbunculis, viresceret in Sma-
ragdis, discernere noverat, suæ nimis credula falla-
ciæ opinio, si nondum Diamantes, aut quidquid
gemmarum est, suo artificio multum debebant; sed
ideò ditissimum fuisse credimus posteris, quòd po-
pulus nullis legibus teneretur, arbitria Principum
pro legibus essent, illorum dico Principum, quos
ad fastigium hujus Majestatis, non ambitio popu-
laris,

Livius
Dec. 1.
Lib. 2.

Justinus
Lib. 1.
Historia-
rum.

laris, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Sed ut ferro & durioribus metallis, ita ferreo etiam sæculo venit sua rubigo; ex delictis aliorum, quasi pessimis parentibus, optimæ filiæ natæ sunt leges. Nimirum erubuerat orbis ad fratricidæ scelus, & quasi ignoravit sanguinem violenter fufum, donec primus rubuiffet; ut dubitare aufim, meliorne parens, an deterior noverca nobis extiterit Natura, dum & primas nascentis orbis colonias, & principis in orbe populi mania humanus auspicator fangvis. Scilicet interituræ erant omnes legum tabulæ (quæ clavis affiguntur ferreis, ubi malos mores affigi multò erat æquius) nisi ipse legislator fangvis efficacius in omni posteritate loqueretur. Ita obstetricante scelere, fangvinaria illa crudelitas optimam legem enixa est: neq; enim vel meritis præmia, vel demeritis supplicia ulla unquam Respublica destinavit, nisi prius regnatricis legum vindex Iustitia probos mores à deterioribus discernere docuiffet. Certè multum ex ingeniis hominum trahunt leges: mitioribus populis pacatiores & indulgentiores leges provida Regnantium condidit prudentia; rigidiores efferatis. Quomodo enim corruptiffimo morbo & planè emorienti amico, si ultrò fecantem adhibemus manum, & ferrum poscimus in remedium, sedula hæc crudelitas medicina est, & pietatis nomen invenit; ita regnorum

regnorum latenti morbo, sæculorum corruptelæ, deplorato statui, & suæ involuto ruinae, nihil promptius medetur, quàm authoritas legum, antiquitus Sacrosancta nuncupata, quia unius ex caelestibus Atrææ soboles est: Regia, quia mollescit omne, etsi aureum sceptrum, nisi adjutrix ferrea Iustitiæ accedat manus, quam in consortium majestatis si non admittunt Principes.

*Hic cum sceptrum capit, frangit, hic antequam
Gestet, fracta videt,*

R. P.
Matthias
Cassimi-
rus Sar-
bievius, è
Societa-
te JESV.

Nec ideò deterior Vestra fors est, Christiana regna, quia in plerisque plus aliquando valent boni mores quam alibi bonæ Leges: celerior cursus Virtutis vestræ est, si Regnantium exemplum, & in vobis æmulandi amor impellit, quod ad prodigium usque antiquus expetiit orbis

In commune jubes, si quid censesq; tenendum,

Primus jussa subi; tunc observantior æqui

Fit populus, nec ferre vetat, quòd viderit, ipsum

Authorem parere sibi.

Claudia.
nus Pa-
negr. 7.

Tyrannidis Moschoviticæ graves & vix tolerabiles leges sunt. Habet enim omnis hoc Tyrannus, ut dum ministros suos omnibus metuentos efficit, ipsa omnes timere cogatur: graviore procul dubio vicissitudine, dum uni debita odia

in tot dispensat vices, quot personas; ut Tyranno non tam ab externâ vi, quàm a domesticis hostibus muniendum sit latus. Scilicet, ut appositè Tragicus:

Seneca in
Traged:

Qui sceptrâ duro sævus imperio regit,

Timet timentes se, metus in authorem redit.

Quasi planè incredibile sit ibi tutum esse Principem, ubi à Principe nihil tutum est. Et hæcenus quidem legibus scriptis Magnæ Roxolaniæ populi planè caruerunt: modernus Dux Alexius Michailovitijs ex Institutionibus Iustiniani, & reliquorum Cæsarum Orientalium expromere leges iussit, & congerere, atq; hoc Compendium Legum Sclavonicâ lingvâ (Vlozennaia Kniha) appellatur, quasi diceret, quidquid annuente Principe plenus Senatus, tum centuriatis comitijs universus populus jus sit scivitq; , id eo volumine contineri. Nemo majoris aut minoris subsellii Iudex (quæ subsellia in urbe Principe fermè ad numerum Provinciarnm rediguntur) decernere, aut (quod ajunt) ultimæ instantiæ sententiam ferre potest, nisi hanc veluti normam patriarum legum adhibuetit. Nulli tamen intercluditur ad supremum Dominum aditus provocandi, ut fermè omnia quæcunq; majoris momenti exercentur judicia, potissimum læsæ Majestatis, aut perduellionis, ho-

micidii, peculatus, repetundarum, arbitrio unius
 Principis finiantur. Frequentissima tamen (quod
 mireris) homicidia vix quisquam sanguine aut
 supplicio capitis luit: neq; erepta vitæ alienæ pre-
 tium est mors homicidæ: sive quod gens innutri-
 ta sanguini & parcissima sui, prodiga aliena, huma-
 næ vitæ jacturam levius æstimet, sive quod in de-
 terrima Tyrannide, si scelus tantum contra Ty-
 rannum absit, perperam & impunitus humanus abe-
 at sanguis Iudiciorum subsellia (ut dixi) pro rati-
 one delictorum diversa: sed latrocinii sive prædo-
 num levior infamia, pecuniariâ multa nonnun-
 quam eluenda est; ut videas sæpe eos amplissimo
 non arceri vel prohiberi loco, qui vitæ & fortu-
 nis insidiati sunt alienis; etsi nonnulli ab equuleo,
 non ab equo transferantur ad honores: ut planè
 veniat mihi in mentem piratæ unius non minus ar-
 guta quàm intrepida responsio, interroganti Ma-
 gno olim data Macedoni, quo scelere impulsus
 mare haberet infestum? Eodem (inquit) quo tu
 orbem terræ; sed quia exiguo navigio hoc facio,
 latro vocor; quia tu magnâ classe, Imperator. Re-
 pressi querulum calamum, etsi ultrò ferebatur,
 neodio alicujus monstraret iter, aut humano ge-
 neri (& quod nocentius est) Regnantium fortunæ
 convitium facere auderet. A militia & quasi con-
 tinuo armorum usu neminem vel ætas ingrave-
 scens,

Cicero

Lib. 3. de

Repub.

scens, & aliquando decrepita, vel immaturâ adolescentia excludit, nam rarò Principis clementia indulget, ut vicariâ filii operâ provectæ ætatis pater in bello utatur; & videas plerosq; jam capulares senes, quos pridem decursa veluti rude donavit senectus, tamen ab immiti Principe manumissionem nondum impetrasse. Commeatum Princeps nemini præbet, nisi aut stipendiario militi, aut externo, sive rei familiaris inopiâ laboranti: paterni unicuiq; agri census, aut Principis liberalitate attributi, ut oneribus publicis sufficiat est necessè. Crimen peculatûs, si quis vel publicam pecuniam averterit, vel Principis ærarium expilaverit, extremo supplicio luendum est: raro quis aut integro patrimonio redimit vitam, aut multorum annorum exilium, vix non morte deterius subit. Nec expedit, si aliquem minùs obnoxium sibi publica Iustitia facit, levisimis de causis, (ut fermè ignota est Principum inclinatio in hos, offensio in illos) in remotissimas amandantur regiones, orbi nostro ignotas, quas provida, quasi tam horrida poeniteret solitudinis, vix non ultra metas terrarum removit Natura. Certè niminè interesset eâ carere patriâ, in quâ diu vivere est lente mori, aut ultroneum sibi prorogare supplicium, cum præsertim sub Tyrannico imperio, is qui illuxit dies cum morte dividendus sit, ignaris civibus quid ferus

serus vesper vehat. Optabilior multis ex funestâ
 tot cladibus civium patriâ exitus, quàm reditus in
 illam aliquando fuit, quasi illis tantum exilium for-
 midandum esse arbitrentur, quibus veluti circum-
 scriptus est habitandi locus, non iis qui totum or-
 bem terrarum unam urbem esse putant. Quid ego
 exulem appellem, cum quo ingentia animi bona,
 insignes dotes, præclara facta, solum vertere co-
 guntur? non exul est, cui eximunt solitudinem li-
 teræ, & verè in magnanimum non cadit ex muta-
 tione fortunæ ultrò enatus dolor, quia in magno
 animo nihil luctuosum est. Longius de legibus
 & institutis Moschorum differere constitutum mi-
 hi erat: sed quid humani aut civilitatis ab eâ de-
 mum expectemus Monarchiâ, cujus vel ipsa legis-
 latrix extitit Tyrannis?

CONSILIA sive SENATUS CONSULTA.

EA conditio Imperandî est, ut non aliter ra-
 tio constet, quam si uni reddatur: Cum
 præsertim resoluatur vis Imperii, cuncta ad
 Ordines revocando, pessimæ olim Augustæ proje-
 ctissimæ adulationis obsequio promptior quàm
 Romano animo svasit servus. Optima illa rerum
 altrix suprema Majestas, cum ad stipendia totâ
 vitâ

*Tacitus
 lib. 1.
 Annali-*

um.

vitâ merenda hominem auctoraret, non frustra
 manus homini stringendo aut tenendo ferro idone-
 as largita est, aut quasi corporis posuit custo-
 des: cor humanum, cui regimen conjurati mor-
 talium hostes detulêre affectus, tot propugnaculis
 quot osibus circumsepsit; pedibus robur & ve-
 locitatem indulgit; oculos superciliis textit & mu-
 nivit; solam mentem humanam, quam à cœlesti
 demissâ traximus arce, inermem fecit; ut con-
 silia, quæ aut vires irritant, aut irritatis moderan-
 tur, vicè armorum haberet. Vides hunc decolo-
 rem Oceanum, vides sanguini suo innatantem ter-
 ram, vides tot magnarum spoliis animarum tumi-
 dos amnes: dixeris cruenta armatæ manus artificia;
 frustra es! nemo illam movit, nisi hæc multorum
 capitum rediviva Hydra, mens humana, subdolis
 instructa consiliis præivisset. Magistra excidiorum,
 sicut urbium Regina est Roma, duobus initi
 speraverat fulcris, sed duobus corruit everforibus,
 Julio & Pompejo, dum nobile par committit, u-
 nius duelli facta est præmium: certe potuerat sati-
 atâ per cædes irâ, hoc (si ita loqui fas est) evitare
 Matricidium, nec unius hominis ambitioni illam
 facere vectigalem liberrimam potestatem, quam
 universa regna non audivêre tantum, sed etiam sen-
 sêre, nisi acre ingenium Cæsaris, bellis civilibus
 excitandis, veluti scintilla ignibus alendis accessis-
 ser.

set. Quid deinde ulterioribus sæculis non ever-
 tit ingeniosa solertia, aut verius illa remota ab ju-
 stitia prudentia (quæ calliditas est appellanda) si
 nunquam orbis suas obducere potest cicatrices, si
 rarò quis Regnantium antiquo illo sæculo inte-
 grum corpus tumulo intulit, si plura supplicia nu-
 merarunt pacatæ aulæ quàm sangvinolenta castra?
 intemperantis ingenii est hic partus, & cum na-
 turæ ipsius adminiculis innoxium, aculeo carere
 debuerit, integris regnis sparsit venena, & nocen-
 tissimum afflavit virus. Quis Regnantium, non
 Tiberius tantùm, sui obtegans, & velare vitia so-
 litus, aut livia, principalis superbix instrumentum,
 non præbeat aurum infusurranti amico, ne arcana
 domûs, ne ministeria militum, ne consilia amico-
 rum vulgarentur, & tamen hoc flagitioso consilio
 involuitur Agrippæ cædes, primum (ut aularum
 inquit magister) facinus novi principatus, etsi A-
 grippam & propior stirps, & Augusti votum, &
 spes populorum sceptris admovebant. Monar-
 chia igitur consilia vel sequitur, vel præit, cui sicut
 non aliud præsentius remedium est, quàm si ab u-
 no regatur; ita promptum est deinde consilio ad-
 movere eos, qui coronato Atlanti, sub pondere
 Imperii fatiscenti humeros supponere possint. Ty-
 rannis hæc Moschovitica si quando servilem suum
 cogit Senatum; non tantum liberæ voci omnem

Tacitus
 Lib. 1.
 Annal.

intercludit aditum, sed imperiosissima sua arbitria vix non anticipat factis; planè hic Princeps, ut nôster Orpheus Sarmaticus canit,

*Matthias
Casmi-*

Ipse sibi Consul, Ipse Senatus.

*vus Sar-
bievius, è
Societa-
te JESV.
in Lyricis*

*Cartius
de Rebus
Alexand.
lib. 4.*

Hoc tamen in barbarâ gente non barbarè, quòd neminem audisse crederes, quod tam multorum auribus est commissum, antiquo more quodam Perfarum, arcana Principum mirâ celantium fide; non in metus, non spes vocem elicit, quâ prodantur occulta, vetus disciplina Principum silentium vitæ periculo sanxerat, lingua gravius castigatur quàm ullum prorum, nec magnam rem magis sustineri credunt posse ab eo, cui tacere grave est, quod facillimum voluit esse natura. Heu quot maxima ac miserima prospicio regnorum aut rerum publicarum naufragia, (nec tamen ex littore adhuc nostræ patriæ aut arena) ab una infelicitatis conciliatriculâ, minus temperatâ lingvâ, orbi nostro data. Eripuit vobis tale, qui consilia vestra hostibus prodidit, bellorum Duces: Vacillat ibi decertandi fortitudo, ubi sublata est ratio decernendi: præ strepitu armorum leges aut consilia audiri non posse, jactavit ex ferocissimis non nemo: addam ego aliena obstrepere tuæ felicitati arma, si hostis præmature proditoris tui mercatus est fidem, aut prius tui te consilii captivum, quàm acie

acie victum duxit in triumphum. Non alienum ab institutâ narratione erit, penitus introspicere tanti mediantia belli, & tantæ scaturiginem cladis, quæ ex parvis initiis orta. Lithvaniam totam, Albam & Minorem Rusiam, tum minoris Poloniae circumvicinas partes comprehendit. Obversabatur animo Principis Alexii cruda memoria, non deletarum modo Provinciarum, sed occurrebant anxie menti spectata olim ad littora glacialis Oceani Polonorum arma; abductus, & factus dedititius ex tanto Monarchâ, raro regnatricis fortunæ ludibrio, Basilius Suyscius, deletæ & excisæ ferè Principis urbis rudera; delati fasces principatûs, tanquam magnorum rudimenta operum, Phœnici Principum VLADISLAO: florentissima Severia, & abundantissima Czerniechoviensi atq; Neogrodensis ora ditioni Polonæ adjecta: non vellicabant tantum ingentes spiritus, avidos vindictæ: sed maximè, (quod sævæ, & inter commentitios enutritæ metus proprium est Tyrannidis) ne novi & redivivi Demetrii illorum temporum turbines, vel à Polonâ renascerentur aulâ, vel ne alieno ambitu recens paterni tantum nominis (neq; enim atavos referebat reges) potentia vacillaret; cultissimo suo, clandestino tamen timori inveteratum Poloni nominis odium obtendebat malè consultus, & corruptus adulationibus Princeps.

Ed accessit improsperum augurium, quasi continuis divinationibus deditæ mentis, dum vix non in primo dominationis limine felicitas sua offendit: quasi indulgentiâ paternâ emollicti populi, durius juvenilis imperii jugum subire abhorrent. Pleriq; prudentiorum (ut sub malis etiam Principibus posse bonos viros nasci non infrequens est,) viderant & meminerant, quæ mala revolutionum Aquilonarem inundaverant Monarchiam: dum extirpatâ Basilidarum (ut recentiores appellant scriptores, stirpe, multi ad se nihil pertinens raperent imperium: dum degenerem & indignam humano regimine manum potius vulnerarent sceptrâ quâm ornam dum rotundum pomum nullâ sui parte capi aut teneri videretur; Cum coronarium etiam aurum, etsi Regnantium verticis suo jure ambitiosum, nueret illa contegere capita, quæ rigidissimi venerationum exactores; Tyrannorum oculi, nunquàm conspexere pileata prudentiores (inquam) veluti interstitiis malorum læti, non accersenda & acceleranda esse bellorum irritamenta consulebant: Contra juniores, ad quos Majorum cum hæreditate transferant iræ animiq; differebant; conjuravisse in Polonorum perniciem tot efferatas gentes, servilem rabiem; non modicam situ hanc Rempublicam, sed florentissima etiam posse demoliri regna; hinc pressurum à Balthico mari Suecum,

cum, illinc à Carpathiis montibus non cessaturum Transylvanum & quæ sibi aut fingere spes, aut malè sana polliceri ambitio potest: fortunas Polonas avaritiæ, Regnum ambitioni, provincias & vires augendo imperio destinabant.

Incitaverat pronum suapte Principis animum (ut alios præmittam) Elias Danilovicius Miłostauscius, vir modicæ prius fortunæ sed ad culmen potentiaæ connubio filiaæ Mariæ (quam sibi, pro more hic recepto, ex electioribus Virginum, formam pietate & pudicitiaâ honestante, delegerat Princeps,) evectus; immemor tamen se ex clara & antiqua Corsaborum Lithuanâ gente, à Magno Duce Ioanne Vasilevicio, expugnata Polociâ, in Moschoviam traductâ, genus trahere nomini Polono implacabiliter infestus. Præferocem hunc militari universi exercitus præfecturâ, legationes præclarè obitaæ ad Otthomanicam Portam, & confæderatos Belgii Ordines commendarunt, tum doctes non tam animi, quàm corporis decenter proceri, adeo insignivêre, ut non vano conjunctionis titulo insistere, sed virtutibus nixus existimaretur. Nihil tamèn æquè movit Principem & impulit, quàm facilitas vincendi & debellandi Lithuaniam, improtectam, tunc & tantæ moli minimè parem: cùm præsertim conjunctiores sanguine, & participes secretorum Consilarii, qui penitus

nitius intimos Principis sensus introspexerant, non tam svaderent, quàm assentirentur. Sed nescio quonam Monarchiæ hujus fato, iniquioribus consiliis depravatorum hominu mobnoxius incipit esse Princeps, quem consilarii ut parvi Æthiopes Elephantem, regunt, & si adhuc orbis noster cineres suos non excusit, non regnatricis mentis, aut mitioris ingenii, sed aulicæ pestis, flagitiosæ cupiditatis, inexplebilis avaritiæ, in præceps ruentis impulsus est. Quid jam reliquum fecisset fortuna, si istam viperinam sobolem; lanienæ quàm sellæ Curuli apriorem (Proceres Moscoviticos intelligo, sceptris admovisset. Nimirum ut verissimè prævidit Romanus sapiens: Multorum (inquit) quia imbecillia sunt, latent vitia, non minus aufura, cum illis vires suæ placuerint, quàm illa, quæ jam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandæ nequitiae desunt, sic tutò serpens etiam pestifera tractatur, dum riger frigore; non desunt tunc illi venena, sed torpent. Vigésimus prope annus est, ex quo in principe hac urbe servilis tumultus eruperat flamma, comprehensura, Principem, nisi aliquorum Procerum, in quos conjurata popularis colluvies publica exoneraverat odia, maximè ob gravein annonem, donatus plebi tumultuanti sanguis, aut secessio spontanea extinxisset. Ut itaq; averterent animos supremæ contumaces potestati,

ad

Seneca
Epist. 24

ad injusta arma transtulerunt sangvinarias manus, & bellum ante intulerunt quàm denuntiarunt Polonia regno; quasi minori piaculo violarentur jura regnorum, quam civilis funderetur sangvis: ignari, bella ex bellis ferere, præsertim non abolendæ tantùm injuriæ, sed proferendi Imperii, aut aucupandæ gloriæ causâ, idem esse, ac aureo piscari hamo, cujus amissi damnum, nulla demum compensat captura. Ioannes quidem Basilides, quo Principum Rusiæ nemo clarior extitit, & qui debellatis trans Volgana Astrachanensibus, & Casanensibus, tum Sibirensibus Scythis, Ducali Moschoviticæ stirpi Regiùm nomen adjecit, (Cæsareum enim peperam abjecta quorundam adulatio arrogavit) nunquam tamen eâ felicitate cumulatus fuisset, nisi ipse continuus in castris pleraq; confecisset bella: ab eo consilio non degener modernus Dux Alexius, integro hoc primo triennali interfuit bello, avertatus illam Majorum suorum vel cunctationem, vel conniventiam, qui dum alienas maximis bellis admovère manus, quæ per Duces suos acta erant, damnare consveverant, scilicet rati pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam. Certe (ut eò redeam unde orsus sum) ut prægravia corpora interimis, si diu quiescere sinas: ita magna Imperia sæpe & magnitudine sua, & nocentissima quiete, id est, longæ pacis laborarunt, ac deinde concide-

runt,

runt, malis. Avertendis civilibus motibus Moschovia quæ sivit remedium, externum bellum, sed impio & scelerato consilio contra eos induit arma, qui toties in cruenti Victores, sanguini pepercere suo solâ juramenti religione illecti, quod clandestinæ perfidiæ suæ Roxolani populi obtendere consueverunt. Sed si hæreditariæ hostium nostrorum iræ suo adhuc caruere successu, ultrix violatorum fæderum Divina Providentia egit, quæ cujus fortunam immutare constituit, consilia corrumpit.

*Vellerus
Pat. lib.
secundo.*

DISCIPLINA MILITARIS.

Difficilius bella quàm scelera patrantur: nam si arcendis sceleribus, non alendis bellæ humana paravit industria, rarò contingit ut non sit acrior, etsi salubrior medicina morbo. Nec bella sceleribus antiquiora sunt, nec scelera prius erupere, quàm infelix cupiditas movit arma. Cui enim antea pugnaretur, nisi aut quærendo, aut retinendo imperio: & cum virtus bellica instrumentum quærendarum opum esset, nescio quomodo in plerisque regnis avarissimi mortalium, sceleribus quæsitæ divitiarum non quæsturam tantum, sed primas veluti excubias committunt. Bella deplorati orbis remedia sunt: ut corrupto corpori quidquid detraxeris sanguinis, non imminuit sed auget sanitatem:

ratem: ita in civili rerum publicarum corpore, quidquid ex morbo otiosæ securitatis tumet, si mature præcidisti, medela est, non vulnus, & parum emissus oportuno bello sanguis, graviora incendia extinguit, ne deinde vicinum Tyrannum, aut (quod acerbius est) secantem seruum regna cogantur pati. Cladibus suis aut ruinis crevit Roma, & nisi per tot terras aut maria circumtulisset arma, non nimis aliarum urbium fastigia excessisset: exercuere illam non evertere continuata sexdecim annorum bella, ut constaret posteritati, in plerasq; urbes plus permitti urbanis flagitiis, quam armatis viribus aut potentia externæ. Latens vis morbi prius perimit hominem, quam latere credatur; ut plures hæc jam morborum supplicia extulerint mortales, quam illa, quæ suo se indicio prodidere: nocentissima, quia clandestina, urbium vitia quas non sepelivere urbes, plane ut proclivius sit illis, benè munitas solo æquare civitates, quam peritis expugnatoribus bellicas admovere machinas. Detrahit regnantibus coronas (quas vel hæreditaria tulit successio, vel libera populorum imposuere suffragia) una hæc malorum lerna, flagitiorum scaturigo, virtutum corruptela, dissolutio disciplina militaris, nec mireris, si frequentius legas, utinam non videas, multorum castra à dissoluto milite prius esse quasi capta, quam ab hoste oppugnata exerno. Iam gentibus

Livius
Lib. 8.
Dec. 1.

bus imponebat juga, quæ deinde, à tumultuantibus legionibus sæpè subire coacta est Roma, cùm prima hæc pestis obrepfit ad rigidissima castra, simul quasi & obsequium & imperium pessum data: quod graviter deplorat primus Romani nominis ab oblivione vindex: Pollutâ (inquit) semel militari disciplinâ, non miles Centurionis, non Centurio Tribuni, non Tribunus Legati, non Legatus Consulis, non Magister Equitum Dictatoris parebat imperio, nemo hominum, nemo Deorum habebat verecundiam, vagi milites in pacato, vagi in hostico errabant, immemores Sacramenti. Nec exuere tantùm obsequium, aut ponere militarem baltheum audebant, sed gliscente licentiâ, immodicæ cupiditates legionum tot largitionibus & donativis, vendidêre emptitium Imperium, illud inquam amplissimum saltigium, quod antea ferrum aut sanguis parare consueverant, mercatui vilissimi cujusq; exposuit militaris libido. Hinc est quòd adèd graviter ingemiscat vix non ætatis nostræ scriptor: Omiserum ac deplorandum illorum temporum statum! Oppressâ Senatus auctoritate, oppressis legibus, oppressâ populi Romani libertate, sic creato Principi serviebat orbis, princeps ipse serviebat iis, qualem nemo vir probus vellet habere seruum. Imperatorem timebat Senatus, Imperator scelestam illam multitudinem militum formidabat.

Erasmus
Rotero-
damus.

dabat. Imperator leges dabat Regibus, at huic leges dabant conducti milites. Summa rerum orbis ab armatâ paucorum temeritate pende-
 bat. Quod indignius spectaculum reliquerat fors
 humana: cùm arbitrium felicitatis tot gentium illa
 poneret manus, quæ ex arbitrio tantùm alieno aut
 necare, aut cædibus abstinere didicerat: cùm ille
 gentium orbis victor populus, permitteretur unius
 aliquando gregarii militis impotenti animo, qui
 antea ad nomen forsitan tantæ fortunæ trepidave-
 rat, quasi spem etiam suâ indole majorem inter cri-
 mina numeraret: cùm deniq; inter tot opulentas
 regrorum merces prostaret Imperatorius, vix em-
 ptus, statim vendendus sanguis, si præsertim empto-
 rem inveniret: quo tandem effectum est, ut illa
 urbs, quæ fuerat sepulchrum gentium, suo tumu-
 laretur in sanguine, & tantùm refunderet cruoris,
 quantum hauserat alieni: ipsa deinde sibi spoli-
 um & præda facta, quæ totum orbem, vix suæ cupi-
 ditati suffecturum deprædata est: plane cùm alter
 alterius non moratur fata, & ipsimet suis immi-
 nent ruinis, serò tandem, & forsitan funebri in-
 scripserunt loculo, quod ex sapientioribus prævidit
 non nemo: *Valerius Maxim.*
 Disciplina militaris Majorum Rem-
 publicam tenet, quæ si dilabatur, & nomen & Im-
 perium amitemus Romanum. Iustitia à bellis
 pridem remota est, & veluti à militari exauctorata

campo, nunquam tumultibus humanis miscetur: nec primo hoc sæculo de Iustitiâ differentem ex gravioribus quendam, elusit verior latronum quàm militum dux: Erras (inquit) quia me de Iustitiâ doces, cùm ego aliena bello eripio: Sed cùm tam longè absint ab omni Virtutis cultu suscepta bella, sola (quod mireris) barbara regna aut religiosius, aut arctiùs retinent militarem disciplinam. In Moschovitico certè Imperio multum tuetur injustissimas bellorum causas una hæc Iustitiæ pars, rigidissimè hætenus habita disciplina militaris: palam rumpere imperium, aut seditiosis obstrepere vocibus armorum Duci inauditum, munia militiæ impigrè, si non serviliter, tolerat miles: Stipendia sua supplex petere, non extorquere consuevit, ut deinde illa non in popinis, sed in baltheo militari deponat. Cum enim fermè tota pedestris illorum militia ex municipalibus colonis constet, nullum laborem recusant manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur: quamlibet enim viam patiuntur jumenta, quorum in aspero ungula durata est: in molli & palustri pascuo saginata citò subteruntur; fortior miles ex confragoso venit: & ille unctus & nitidus in primo pulvere deficit, quasi minus ille mortem timeat, qui minus deliciarum novit in vita.

Deploranda sanè aliorum Regnorum multis populis, deridenda hostibus militia est, quæ magis impedimenta sua trahit, quàm ducit, & plura in exercitu instrumenta luxuriæ numerat quàm arma, instructior auro sæpè quam ferro, & proculcare illam materiam non veretur, cujus amore ferro populi dimicant. Adeò plerumq; , dum secundis rebus, quæ circumfluunt, insanire capit miles, facilius adversam quam secundam regit fortunam. Nisi maduisset vino, qui impervios & inaccessos montes, ut mollescerent, tinxerat aceto Pænus Dux; nisi illum indomitum nivibus atq; Alpibus virum enervavissent fomenta Campaniæ, Africam timuisset orbis, & Carthaginem potius adorasset quàm Romam: sed vix enascentibus floribus, dum illi fortuna Campanam indulsit Pomonam, victoriæ fructum eripuit; sic nimia ubertas segetem sternit, sic onere franguntur rami, idem quoq; contingit animis quos immoderata felicitas rumpit. Nec ille, cui Magni nomen ulla posteritas adimet, eundem exercitum Babylone reduxit quem induxerat; certè cum nihil urbis illius corruptius moribus, nec ad irritandas illiciendasq; immodicas voluptates instructius fuisset, inter hæc flagitia exercitus ille, Asiæ domitor, per triginta quatuor dies tantùm saginatus, ad ea quæ sequebantur discrimina haud dubiè debilior futurus fuisset,

fuiſſet, ſi hoſtem habuiſſet. Ita nihil magis quàm opum affluentia, diſciplinæ militari nocet, & ille demum exercitus in diſcrimine fortiſſimus eſt, qui ante diſcrimen modeſtiſſimus. Neq; etenim ideò bella geruntur, ut funditus evertantur gentes, vel ut dimidiam partem terrarum ſolitudinem faciat miles; ſed ut illos quoq; , quos bello ſubigunt reges, victoriæ non pæniteat alienæ. Vna Moſchovia, aliorum colluvies ſclerum, tantùm ſibi imperare potuit, ut licentiam militarem ſuis circumſcriptam teneat cancellis; civiliora Europæ regna ita plerumq; domesticis hoſpitibus potius quam hoſtibus metuenda ſunt, ut dubitare poſſis graviusne à crudeli hoſte, quam ab armato ſpolientur cive; planè ut in ſua viſcera armentur, ferrumq; ab hoſtili bello in popularem, & ſæpè innoxium ſanguinem vertant, exemplo furentium, manus ac membra ſua caſura. Stabilimentum Imperii diſciplinæ militaris tenaciſſimum vinculum eſt: & quot, florente hac, repullulârunt in rebus publicis commoda; diſſoluta illa quot regnis accerſivit mala, quotuſquiſq; ex ſapientioribus non differuit? Sed dum magis libros implent, quam aures, veritati palam infeſtas, ferè deſinit eſſe ibi remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores ſunt.

OECONOMIA BELLICA,

Sive

APPARATVS BELLICVS.

Non est diuturna possessio in quam gladio inducimur, Sceptri non minus, quam potentia, orbe toto qua sita securus olim rex dixit: additurus plura, si vidisset hac aetate ambitionem regum, ultra vires & fortunam vota sua extendentium, opinionem potentiam majorem: raro denique magnis conatibus optatum successum: sed spem adeo pertinacem, quam humanae mentes, quam ingentes concupiscentiae devoverunt. Armatus ille bene instructam classem, & infido committit elemento tot regum parsimoniâ congestas opes, ac jam praematurae spes, magis quam ventosae aurae sua vela implent: iam sibi novos fingit portus, aut (quod vulgo dicimus) Bonae Spei promontoria, nova maritimae ditionis propugnacula excitat, vectigalia pollicetur, indomito & veluti obsequi insueto leges ponit mari: sed exlex belli fortuna, leges dare, non accipere solita, disjicit classem, excutit Nauclerum, evertit aut submergit naves, & navales illos exercitus, qui suis viribus contumacissimi subditi, id est dominium destinare maris, alieno saepe arbitrio permittit. Haecine Vestra tam metueda, tam circumsepta praesidiis potentia est, in quam

Curtius
lib. 8.

levis-

levisimæ rei, id est ventis aut tempestatibus tantum licet? hanc ego non irritam aut inanem spem appellem, quæ ab aliquot funibus pendet? hoc ego commune non vitem naufragium, ex quo si aliquem enatare contingit, nunquam tamen cum farcinis; ut vix aliqua tabula, monumentum cladi factura, supersit. Alter quasi firmius spes suas locaturus, terrestribus copiis immensa terrarum spatia aut cupit, aut occupat, ignarus ad tuendam felicitatem unam, aliâ opus esse felicitate. Hinc plumbum illi subvehitur, ut aurea aliorum opulentia expugnetur; illinc terra eruitur, & impiæ proli suppeditat interitus materiam, dum pulveri tormentario conficiendo desudatur: quasi deessent tot fomites & incendia, quibus cineribus suis opletus comburatur orbis: alibi cæduntur Sylvæ & humanæ salutis extirpantur latibula, ne ullius miseri paupertas sit tuta. Irritat spes istas aut vicini soli ubertas, quæ tamen multorum industriam sterilescere facit; aut exercendæ mercaturæ oportunitas, ex cujus commercio frequentius mortis, quam vitæ percipitur lucrum; aut deniq; innata cupiditas auri, quod tamen durissima emolli-vit pectora, & tantum ferri absumpsit; nec quidquam tam inops, tam vile, aut abjectum est: quod avaras & instabiles non alliciat manus. Sed quid jam tibi adjicere fortuna potest? providisti ne ege-
res,

res, imposuisti cupiditati tuæ frenum: dimisit te avara regnorum fames, premit tantum ambitiosa gloriæ sitis. Narrant qui penitus arcana Naturæ scrutati sunt; sitientes camelos nunquam puro fontis admovere ora, nisi prius pede concusserint aquam. Traxit hoc seu vitium naturæ, seu morosam animalium sitim, ad Principes suis tumultibus, quasi turbidissimis aquis involutos, ingeniosa hominum solertia, atq; ut plures dulcedine gloriæ irretiti, ad hunc scopulum impingerent, non est verita adulari hoc lemmate: Iuvat empta labore Gloria. Quid Principem impellit, ut pacatissimum statum discrimini exponat & ultrò quærat bellorum certamina, quæ immanes etiam feræ toties vitavêre, impellit extrema gloriæ sitis: Quid sacrosancta fœdera, eâdem obfignata manu, quæ tot populorum tenentur sceptrâ, violare permittit, atq; ut pueros talis, ita reges juramentis deludendos esse svadet? hæc certè inexplebilis sanguinum Harpya, gloriæ sitis. Quid deniq; moliri ardua, cupere impossibilia, audere inaudita, ambire remotissima, vix non hæc æmulari, quæ tantum supremus rerum author, aut altrix prima effecit natura, & planè civiliter in orbe, quasi in scenico theatro insanire facit? hæc profecto cæca magis cæcutientium bellatorum manu ductrix gloriæ sitis. Vides istam bellicam & blandientem fortunam,

I

quæ

quæ idè plerosq; suos alumnos in præcipitem locum favore tollit, ut deinde in ipso discrimine periculi destituat. Non potuerant explere Annibalis infatiabilem animum tres annulorum modii, quos ad Cannas, Romanæ indices nobilitatis, noverat metiri: unum illi servavit ultorem anulum crudelis fortuna, ut venenum includeret quo periret: & bene gemma texerat nocentissimum virus, ad eum tollendum, qui gemmam orbis Italianam, sævo imbuerat veneno. Legite, si otium est, o Principes, lugubre carmen, quod eruditissimus Satyricorum quasi ad tumulum illi appendit.

Juvenalis Satyra
Decima.

Expeude Annibalem, quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Affrica, Mauro
Percussa Oceano, Nilogq; admota tepenti.
Exitus ergo quis est? o gloria! vincitur idem
Nempe, & in exilium præceps fugit, atq; ibi magnus
Mirandusq; cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithymio libeat vigilare Tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarum vindex, & tanti sanguinis ultor
Annulus. I demens & sævas curre per Alpes!
Ut pueris placeas & declamatio fias.

Egerat
ad Prusiam
Regem Bithymie.

Cum

Cùm itaq; bella inferat indictâ causâ Moschoviæ Princeps, instructissima ejus utiq; armamentaria, & bellica tormenta mirabilis magnitudinis planè jam orbi innotuerunt; pulveris tormentarii & plumbi vis ingens: Commeatus firmioribus propugnaculis, qui decennali obsidioni sufficiat, continuo suppeditatur. Certè opulentia promptuarium virium est: & neminem exhaurit sumptus cui abundè accesserit census: cum præsertim vires & opes reciproco quodam jungantur nexu. Expeditissima enim illi est ratio parandarum opum, cui ingentes supersunt vires, sicut & viribus illum destitui est necessè, quem copiosior res nummaria non instruxit. Sed antiquo illo & rudi sæculo Moschovia instructior à viribus, quàm ab opibus fuit: nunquam opulentior facta quam Anno Humanæ salutis 1477. cum Ioannes Basilides, illius Tyranni avus, captâ urbe magnâ Novogrod, antiquis scriptoribus Neogardiâ dictâ, omnium Septentrionalium liberrimâ, primus inauditam prædam ærario Principum Moschoviæ invenit, id est trecentos currus, auro tantum, gemmis, pretiosioribus lapillis, & argento, tum omni pretiosiore suppellectile onustus. Eidem urbi annum vectigal centum millium aureorum imposuit, præter varia pellium pretiosarum tributa; & hâc opum accessione nimis quàm vires suas au-

Ut fabulantur, prima post diluvium Vibs. Mathias Strycovius lib. 20 de Rebus Lituanorum.

xêre Moschoviæ Principes, eò feliciores, quòd impune tantam tulerint prædam, conniventibus Majoribus nostris, qui non solùm de vindicandâ ex servitute Neogardiâ omnem abjecere curam; sed plura sibi & firmiora præsidia eripi patiebantur. Nimirum retinet suum nomen orbis, ita rotundus, ut vix aliquâ parte sui teneri possit: ille cui hodie tributarii populi purpuram substernunt, cras forte ubi subsistat vix habebit. Novit fortuna hos ludos facere; nec moratur illam aureo curru, Diis quàm hominibus propior insidens Darius; pauci intercessere dies, cùm veluti catenatum auri mancipium, vili vehiculo, jumentis trahendum imposuit. Scit illa continuis erudita vicibus rerum humanarum, ereptis sceptris, Professoriâ obijcere ferulam, & in literario tandem experiri ludo, utrum modestior in erudiendâ juventute moderator, an truculentior in exercendâ Tyrannide quondam Sículus fuerit. Quod deplorat ipse deplorandus vates:

Ille Syracusâ modò formidatus in Urbe,

Vix humili duram reppulit arte famem.

Ovidius

Lib. 4.^{to}

de Ponto

Elegia 3.

Ausa est nuper illa coronatum Angliæ caput à fascibus transferre ad secures, hoc acerbiori spectaculo, quòd infelix ætas nostra carnificis manum regio sanguini nondum viderit admotam. Tantumne

tumne in fortunam, sæpè innoxiam, rejicimus crimen, eùm ipsi, ut feræ, mutuo laniatu vivamus, & quisquis potentior est, malo egentioris ditescat. Quàm congruè acclamandum esset orbi, quod emorienti libertati Romanæ commoriturus protulit Orator: Lugent omnes Provinciæ, queruntur omnes populi, regna deniq; jam de cupiditaribus, atq; mutuis injuriis Principum expostulant: locus intra Oceanum nullus est, aut extra, neq; tam longinquus, neq; tam reconditus, quò non per hæc tempora multorum libido iniquitasq; pervaserit.

Cicero Actione V. in Verrè, paucis immutatis.

MODUS COERCENDI PROVINCIAS.

HOminem regere vix aliqua didicit Regnantium domus; cum præsertim populi rarò ferre possint aut totam libertatem, aut totum servitutem. A libertate vel inlentiore vel nimia, pronus est ad licentiam gradus; cum tam omnibus ignoscere crudelitas sit, quàm nulli: & non minus deteriorem esse Principem, sub quo nihil liceat, quàm sub quo omnia omnibus liceant, vel ipse libertatis expers olim senserit civis: a servilibus verò animis si nondum sibi metuit regnatricis felicitas, vel deleta servili conjuratione Tyrus, vel urbs regnis sceptrisq; fatalis,

Tacitus Lib. I. Histor.

talis, toties suorum mancipiorum territa minis &
 vilissimæ plebi suplex, sed externis hostibus timen-
 da, & superbe contumax, potuit docere orbem.
 Si te, ò Princeps, custodem, non dominum liber-
 tatis suæ posuere regna, videbis quàm erumpentia
 sæpe flagitia sua ingenuitas frænet: quam indul-
 gentissima Principis clementia civile non retardet,
 sed manuducat obsequium: quàm ingentes animi
 debita sibi destinant præmia: quàm leves etiam
 noxæ præscripta: supplicia formident: ut planè
 otium, non negotium Tibi commissum gratuleris,
 quasi propitia arbitrum, & jucundum spectatorem
 liberæ virtutis, non exactorem Te collocarint fata.
 Sed si in licentiam degeneret libertas, precariò re-
 gnandum est: dum effrænis populus nec vitia
 sua, nec remedia aliena ferre potest. Si vectigal
 non Princeps, sed publica imperavit egestas, grave
 est illi privatas imminuere opes ut communia sar-
 ciantur damna; si quando bellis interest, etsi cer-
 vicibus imminet hostis, ultrò missionem à Prin-
 cipe petit, quo minime annuente, Principem
 armatum deferere piaculum non est: ita sanè
 dum exclusis parendi vicibus omnes imperant, sin-
 guli vincuntur, aut intereunt. Tempore coale-
 scit potentia, & nulli regno unius sæculi spatio sua
 constitit felicitas. Infantia urbis Romæ severiores
 magistros nacta est Reges, ut robustior cresceret:

ado-

adolescentiam ejus & virilem ætatem Consularia Imperia, Decemvirales potestates, Tribunitiæ procellæ coercuêrè: quousq; in Monarchiam & gravio rem deinde Tyrannidem extrema non inciderat senectus, ut constaret orbi, sicut ætatem humanam, ita urbium regimen ad sua principia redire. Alenda est infantium ætas crepundiis: adhibuit etiam suas blanditias primæ ætati lenissimum unius Imperium: firmandi sunt posteriores anni, cum sapientiæ præceptis, tum militaribus exercitiis; nonne urbem illam, dum crescentes benè tuetur vires, sed melius externas adjungit opes, tot belli robora, aut potius fulmina, Camilli, Scipiones, Fabii Maximi, tot bellorum decenniis exercuêre? cadendo sæpè fallitur & primæ, & decrepitæ gressus ætatis, dum illa incedere incipit, hæc desinit: ita Respublica Romana dum titubanti pede sensit se hallucinari, manu ductore opus habuerat, & diu caligantibus oculis ad firmanda vestigia aliquem requisiverat scipionem: sed brevi ruituræ obtulit se Cæsar, cuius invita debuit inniti sceptrò, quod cum in ferreum abiret acumen, magis decrepitam vulneravit, quàm sublevavit Matrem. Est amplius quod mireris, septingentis ferme annis, dum ex Europa transfert bellum in Africam, nunquam tacendus Africanus Paulus Æmilius, ex Africâ in Asiam ad devehendam toto orbe potentiam Romanam, non qua-

Vide Livium Decade I. Lib. 2. Historic: Politic: noster Loco eodem

quadrigas, sed ipsos juncturus reges, ultra tot ditiones quæsit, unde cresceret Imperium: Triennale bellum, quid triennium? una civilis æmulatione, una Pharsalica acies terrestris quoddam, cælum Diis parem amplitudinē; omnibus regnis primam, nemini adhuc secundam Monarchiam exitio dedit. Sed undè hæc inopinata clades? suo ut insani perempti sunt ferro, & violentam ultro accersivèrem mortem Romani. Licentiosius habiti exercitus, omnium bellorum in unum congesta decora, perpetua Gallicanarum legionum præfectura, dum non arbitratur civitas, ad custodiam libertatis pertinere, si magna imperia diuturna esse non sinat: non permisere diutius rarissimâ ad invidiam orbis frui libertate. Habetis licentiam, Matre optimâ libertate genitam; Sed ut dedecorant benè nata culpa; ita hæc Vipera, natalibus indigna suis, renuit vivere, nisi matricida prius fiat quam partus. Ad servitutem digredior, etsi cognatione junctam licentiæ, sed eò deteriolem, quò ignobilior ejus est origo. Nihil tam infestum libertati quam metus: hoc tamen infelici metus cum Tyrannide connubio edita servitus est. Falleris, si magna Imperia magno metu retineri putas: vilis & abjectus animus quo projectus timet, eò insolentius audet; tantò plus pollicitus sibi ex audaciâ spei, quanto rigidius, exclusâ omni fortunâ, compescuerat illum,

lum, continuus ille Tyrannorum satelles metus. Exemerat quasi mortalibus curis sua felicitas Darium, nisi Alexander suæ obstitisset fortunæ, à cujus victoriâ didicit esse infelix: sed victrix illa Macedonum acies, geminâ clade exercitum illi eripuerat, non regnum, tantò minus vitam: acerbius in illum sævière Besi & Nabarzanis serviles metus, dum audent illam vincire manum, cujus nutum tota exspectabat Asia: dum non verentur in illum conicere tela, pro quo Indiarum, & Bactriana orbi nostro incognita regna toties strinxère ferrum: ut innotesceret posteritati, mitiora esse Regum ingenia, & sæpius sanguini parsura alieno, quàm immanes servilis populi manus, quarum is demum strenuus labor est, ut omnia regnantibus excutiant sceptrà, nec ullum fastigium supersit, quod adoret orbis. Sed sublato Dario, ut nihil inausum intentatumq; relinqueret servilis perfidia, ausa est illum venenato extingvere poculo, cujus immortale quasi latus tela & saxa hostium toties vitavère; & dum Regem tantum se necaturam credit improvida ambitio, in tot quasi membra sparsit venenum, in quot partes diffensionis capita partum ingentibus victoriis nomen distraxère. Ita inconsulta servitus, dum metuit, ne post debellatum orbem, nova etiam inveniat discrimina victor, ne vel alii Darii, vel Pharrasii, vel Sogdiani sint

*Macedo-
nū Rex.*

investigandi, transtulit ad suamet mancipia regnum: documento futura, quam segetem arua illa ferant, quæcunq; regius aspersit sanguis. Philippus certè non in acie tutior quàm in theatro fuit? quasi nescirent antiqua proscenia frequentius spectatos dare actus orbi, quàm servili manu jugulatum Regem. Non ludit hæc ferax calamitatum scena Magnum Rusiæ Monarcham; nam etsi alicui ex Proceribus insolentiori fortuna arrisit ludo, rarus est, quem non carnifex, etsi non supplicii exactor, terroris tamen index sequatur: & novit hic circumspecta Principum solertia præmature aliis irritamenta potentiæ amovere opes, quos ad spem novarum rerum vel mutationis incitarent. Magna flumina, si fontem obstruis, exsiccare necesse est: ita à liberalitate vel parsimoniâ Principis, tanquam à scaturigine, opulentia vel inopia in minores & subjectas propagines venit. Sed cùm periculosum sit prægrave imperium, & difficile sit continere, quod capere non possis, (facilius quippe est quædam vincere quàm tueri,) proinde multis est tuendum manibus, quod multæ Moschovitico Tyranno acquisivère manus. Hinc est quòd, in novo præsertim & precario imperio, acquisitorum regnorum jugum rigidâ adhuc ceruice subeuntibus incolis, multùm indulget Princeps; cùm vix credibile sit, tot gentes, alterius Imperio ac nomini asuetas,

fuetas, non sacris, non moribus, non commercio lingvæ cum Moschovitis cohærentes, eodem prælio domitas esse, quo captæ sunt. Certè ut obsequio mitigantur imperia, ita humanis ingeniis parata simulatio multa hic tegit; ut vix subjectæ gentes observari se advertant; cùm præsertim, ut in dubiis bellorum eventibus, sæpius hic affuatur pelliculis vulpina, cùm leonina rarò sufficiat; ita in civili regimine, à subdolis regnandi artibus (quas arcana flagitiosæ dominationis verius dixeris,) nihil sit integrum aut immune. Cùm verò remotissima citra mare Caspium, & bonam partem Asiæ, tùm ad glaciale Oceanum Lopanorum, Samojedorum, (Sclavonicâ lingvâ quòd humanis carnibus & crudis ferinis expleant famem appellatorum) ditioni suæ subjecerit regna, quòd difficillimè armis aut ministrorum vigilantia retineri posse illa credat, non annua tantùm vectigalia, sed obfides nobiliorum stirpium recipit, firmioribus præfidiis includendos, quasi jam & reliquorum popularium oppignoratōs animos habiturus. Sed moderna bella multum sollicitudinis Magno detraxere Duci; cùm enim traheret potius, quàm duceret barbaram istam, cætera imbellem multitudinem, plerosq; intemperies autumnalis, vel difficultas longissimi itineris, vel commeatus inopia, vel castrensis labor, aliquando minimè secundus belli eventus absumpsere. Ita

*Scythica
Lingua
Amanati
dicuntur*

cum ferocissimi per acies cecidissent, non est illi metuendum, ut subactæ gentes Imperium aspernentur, quas, ut captas & inclusas feras, quia illarum natura non potest, longior dies, & spectatus aliorum interitus mitigat.

MAGNI-DUCIS AULA.

PRincipem Moschoviticum, & belli seu pacis artes adumbravi verius quàm descripsi: aula me, vetus fraudis & sceleris officina, Tyrannidis magistra, innocentis spongia sanguinis, promicue alienum hausura & refusura cruorem, amiscitiarum jura non fidè sed successu ponderare assueta, uno verbo, tanti incendii (quod vix non magnæ partis Europæ aut sanguis extinguit aut manus,) fomes, & clandestina scintilla, vocat. In aliis Dominantium aulis sunt aliqua virtutum & scelerum vices, aut quædam ut temporum, ita morum interstitia, quæ etsi corruptissima sint, meliorum tamen interventu pensantur: hic non expectes inter virtutem & vitium discrimen: pridem hoc domicilio non virtute stantùm, sed nomina etiam virtutum excessere, dum instructissimus ad fallendum sapientis nomen invenit, immanissimus humani sanguinis helluo fortitudinis gloriam sibi usurpat, Principi

cipi blandus adulator sub titulo fidelitatis latet, & propinat melle circumlita venena: ut planè quibus gradibus optimi cives difficillimè enituntur ad virtutes, iisdem deterrimi quiq; facillimè in scelera ruant. Gravem irrogat multam lex nummaria avaræ hominum insolentiæ, quæ aut adulterinos supponere nummos, aut Principis facie & stemmate insignire non veretur alienos; & tamen nulla adhuc lex vel supplicio afficit, vel coërcet eos, non dico Monetarios, sed toti orbi repetundarum reos, qui Principis ingenium veluti nummum, cui proxima supremæ Majestatis lineamenta sunt impressa, ita corrumpere audent, ut vell belluam referat vel belluâ perniciosiorem. Ex auro conflatur, quasi fortunam suam imitatus Princeps, dum particeps Divinitatis animus circumponit illi veluti regnorum & subjectarum gentium notas. Regii animi esse in summâ potentiâ injurias pati, nec quidquam gloriosius Principe impunè læso: sed vix ab incude prodiit hic nummus, admiscet illi perditissima adulatorum improbitas

*Seneca
de Clem.
lib. 2do
cap. 7mo.*

supposititia æra, tinniunt vasa inania & insufurrant; In summâ fortunâ id esse æquius quod validius, & nihil tam mutationi obnoxium quam famam potentiæ, non suâ vi, id est terrori nixæ. Hinc in primâ inauguratione deferunt illi sacrorum Antistites regiam fortunam, rotundo inclu-

sam pomo, ut intelligat, fortunæ bona ex regiis
 manibus ad subjectos etiam populos liberaliter ef-
 se devoluenda: illinc intima amicorum, veriùs
 insidiatorum, cohors frequentius ad subscribenda
 supplicia, quàm ad tribuenda beneficia publicis
 commodis natam impellit manum, Spectat con-
 tinuas clades & ingemiscit orbis, ad tot regiarum
 excidia stirpium, nec ullam adhuc extinctam, &
 suæ felicitati ereptam videt, cui prius insidiatrix
 ista adulatorum non fuerit blandita fortuna. Ita ô
 Principes circumstant vos longæ & firmæ contra
 hostem infestum excubiæ: contra populares mo-
 tus, & furores muniunt sollicita servientium ob-
 sequia; solis adulatoribus adeò vestra improtecta
 patent latera, ut sæpiùs Vos cadere videamus civi-
 um victimas, quàm hostium prædas. Ne longâ
 opus est serie antiquitatis: ipsa regnatricis Moscho-
 vitica domus à Rurico, Ithoro, Suatoslao, Vladimiro,
 Monarchis plusquam sexcentorum Annorum conti-
 nuatâ successione, cum tot munimentis insisteret
 sæcundæ Ioannis Basilidis sobolis, planè sibi pollice-
 batur immortalitatem: sed postquam regiam so-
 bolem aulicæ fraudes Borissii Fedorovitii Godu-
 novii, ut sibi scelere pararet imperium, penitus ex-
 tirpauere, sensit demum extremo Moschovia malo,
 quod nullum profundum mare, nullum vastum fre-
 tum & procellosum tantos excitare possit fluctus,
 quan-

*vel circi-
 ter mille
 Annorâ.*

quantos multitudo popularis motus habet, utiq; si novâ & brevi duraturâ libertate, (præsertim malorum scaturigine impellente aulâ) luxuriat. Scripsi jam, Moschovitica gens quò projectius servit, eò insolentius & occultius ambit, audetq; ab imo servitutis gradu ad suprema eniti fastigia, si præsertim aut illustrior Majorum sangvis manuكتورis præeat loco, aut veluti pedissequæ suffragantis populi comitentur voces: sed potissimum à perditissimâ antea Principum ministri Borisii Godunovii ambitione, ea demum erupere certamina, ut nunquam se explerent sangvine eorum, qui veluti sitibundi Tantali hianti ore fugacia captaverant regiminis, nihil ad se pertinentis poma, & demum intelligerent populi, assueti nomen ipsum colere venerariq; non quemquam id capere, nisi genitum ut regnaret. Certè si subdola illa Caprearum laniena potius quàm aula, nec meliorem servum, nec deteriolem educavit dominum: quanto protervius inter serviles enutrita metus, sui obtegens, illudit Aquilonari Imperio Godunoviana vafrities: qui pro equo, quem illum domino suo deducere oportebat, non sellâ tantum, sed folio avito Basilidarum exturbavit stirpem, atroci tandem memoriâ apud totam posteritatem luiturus pœnas: ideò optimus sui carnifex effectus, quia malum Principum egerat. Documentum cultioribus Principum

*Cajum
Caligulâ.*

*Suprem:
Stabuli
Præfekt.*

*suâ manu
hausi
venenit.*

pum

*Curtius
de rebus
Alexand.*

pum aulis, rarò plerosq; ad summa evectos, inter magnarum meditamenta curarum, noluisse irritare spem fortunæ splendidioris, quæ & Philotam insidiari coëgit benè merito Regi, & citius atq; crudelius illum torfit, quàm torque Regii donavit honoris; quæ adèd Regum obsedit limina, ut ille jam omnis expers felicitatis sperare demum desinat, qui spirare desiit. Neq; deterret ambitiosas mentes aut vix in curiam à Senatu deductus, à populo in frustra divisus Seianus: aut nostrâ atate ægerri-
mè fortunæ moderatus suæ, Egræ mulctatus, atq; iisdem retibus planè irretitus, quæ bicipiti Imperiali Aquilæ retenderat Wallensteinus: aut discordis symphoniæ pesimus Cytharædus, eidem tumulo recentis Reipublicæ nomen, quo deterrimum includens cadaver, Regicida Cromvellius, ut si defuerant elingves tanto spectaculo filii, post peractam etiam Catastrophen, conqueri possint calami posteritatis. Rex erat, quem malè subjecti populi supplicio dedit manus. Excisas Regum stirpes non miror servili manu; quid enim tam firmum & communitum vidit unquam Orbis, cui non sit discrimen etiam ab inualido: ipsa liliorum feracior quam sanguinum Gallia, dum unius Henrici, ferali spectaculo in penetralibus Regiæ Domus interempti, nondum siccavit oculos, coacta est in viscera Henrici alterius immersum spectare

*Henri-
cus III.
Henri-
cus IV.*

ſpectare cultrum, eò acerbiori Chriſtianiſ aulis exemplo, quo religioſius primogenita hæc inter Chriſtianas regias manſuetudo ſiſtere hunc, non effundere debuerat ſanguinem, & conveniens erat, tanquam odoratiſſimam Deo litari victimam, in continuis tot annorum bellis, quorum ferme Religio claſſicum eſt, quàm ſicariâ pollui & temerari manu. Hoc miror, ſanguinolentis hiſ multorum veſtigiis non terreri & cæcutire plerumq; Regnantium mentes, dum violenta & tumultuaria miniſtrorum ingenia ſeponunt ſibi, & arcanis immiſcent conſiliis illa calliditatis monſtra, quæ ſi nondum ſuis orbem involvere potuere ruinis, Divinæ adhuc Providentiæ, pronioris ad clementiam, lentioris ad vindictam incomprehenſibilis obſtitit altitudo. An Regio ſanguini Tuo parſurum putas, qui alterum ſanguinem ſubjectorum populorum, extractivo nimix potentiæ instrumento, exſuxit opeſ? ut hæc viva humanæ cadavera egeſtatis præſagiant, Principem aut vitâ, aut alterâ honoris animâ, cariturum. Non exteſſit adhuc ferrum Hiſpanica aula, quo ſecavit avarum honoris & opum guttur Roderici Calderonii, Comitſ Olivæ, ſeptem Eccleſiarum Marchionis, qui dum illuſtres quaſi ſorbet neceſ, amariffimum obſonium deglutivit mortem, allaturus occaſum illi Majeſtati, cujus in latiſſimis regnis ſol nunquam occidit, niſi

*Adolphus
Bracke-
lius, lib.
1. Histor.
nostri
temporis*

ultrix Regum Nemesis contagiosum hoc mem-
brum à sano corpore sacratoris consilii abscidisset.
Nimirum ut pleraq; remedia intemperanter sum-
pta abeunt in venena, & multos immodicè conge-
sta pharmaca prius necavère, quàm pristina resti-
tuère sanitati: ita Regum nimis accumulata bene-
ficia illis potissimum supplicia sunt, quos, novæ
potentiæ hospites, secundior fortuna ideò per præ-
ceps iter ad ampliora fastigia tulit, ut intelligant,
inopinatò paratas vires transituras in virulenta con-
tagia suæ felicitatis, si præsertim illa toties obten-
turi sumpta & sola obtendens Ratio status, non-
dum epoto à filiis fortunæ poculo, sua toxica mi-
scet. Sed me dum Christianarum aularum pudet
pigetq; iniquitas temporum longius quàm desti-
naveram rulit; redeo ad Moschoviticam aulam, in
quam eò frequentius irrupère corrupti sæculi ma-
la, quò longius Moschovitica processère arma;
quasi nescirent aliam importare domesticis penati-
bus prædam, quàm crudele illud, quod innati ef-
feravère mores, nocentissimis insuper aularum ex-
ternarum artibus assvefactum pectus. Adeo ne-
minem adhuc deprædatum fuisse orbem aut leges
aut invenies, qui non in mutuam cesserit victis,
etsi non bonorum, at tamen morum prædam. Spo-
liare nemo adhuc potuit regna, quem in declivem
sua spolia non traxerint ruinam. Sic innoxiam

& Romanam illam simplicitatem, post deletam Carthaginem, suo movere domicilio Punicæ fraudes: admirandam parsimoniam & frugalitatem duxere in triumphum Asiatici luxus illecebræ: quidquid denique aut coactum servit, aut deditum est ultrò Romanis, hoc totum oclusas antea fores externis referavit malis. Ut multorum ministrorum sæculorum virtutes aut vitia, ita multorum ministrorum status provida consilia, aut nocendi conveniunt artes, ut aliquam stabiliant vel evertant gentem. Falli & fallere ubique promiscuum est, sed nullibi nocentius, quam in hac dolosa fraudum luctâ, quæ eò profligatius vicinas pessumdedere ditiones, quò occultius illas malè credula, & ex suo ingenio aliorum ingenia æstimare assueta barbaries tegit. Quarum machinatores ut suis prodantur indiciis, adumbratos verius quam descriptos, majoris & minoris subsellii Proceres hæc serie lege.

PROCERES MAJORIS SUBSELLII,

Vulgò Slavonicâ Linguâ

BOIARE DVMNOI appellati,

quasi PALATINI.

1. **D**VX NICETAS five Nicchita Iuanovicus Odoowscius. Præclarâ & quasi Dominatrice Ducum Czerniechoviensium stirpe ortus;

sed cum Septentrionalis iste Draco, minores devorando serpentes, in eam Christianitati formidandam excrevisset magnitudinem, & majores sui, propriæ hæreditatis dispendio, intolerabilem posteris emeritati fuissent servitutem, servientium & ipse immixtus vivit turbæ. Liberiore dignior solo & patriâ, si prudentiam non omninò callidam, & innatæ nondum penitus extinctas scintillas spectes generositatis. Eò accessit studium literarum Sclavonicarum exactissimum, alicui notitiæ Historiarum Polonarum conjunctum. Fecialem certè concludendæ pacis, Oratores nostri (sive Commissarii vulgo) Vilnam, deinde ad limitanea municipia destinati probavêre, quæ legationes etsi suo caruêre successu, autoritas tamen Odoovsciana, tanquam Principis legationis, collegarum suorum incivili pertinaciæ & loquacitati ita moderata est, ut tredecennalium induciarum ipse fundamenta jecisse videatur. Cumulata morbis senectus sæpe cum ab intimo & sacratori Principis excludit consilio, cui si pristina constaret alacritas & valetudo, non utiq; illum inter sævientis instrumenta Tyrannidis numerarem, sed ut nævus unus aut alter pulchritudini corporis nihil detrahit, ita eminentior in uno Virtus tantorum scelerum congeriem, quorum feracissima hæc regia est, nunquam velat.

2. DVX GREGORIVS SZANCL-
LEVICIVS CZYRKASCIVS, Scythi-
cæ, sed primariæ originis Montanorum, (alias
Horskie appellatorum) Czyrkassiorum, prom-
ptiore manu quàm lingvâ, rudis sanè non artium
tantum, sed & cultiorum morum, & robore cor-
poris stolidè ferox. Principi tamen opinione bel-
licæ virtutis æstimatus magis quàm carus. Domitor
equorum, qui latissimæ ejus implevère stabula, pe-
ritissimus; sed fortuita hæc corporis bona, maxi-
ma non æquarunt solum sed superarunt animi viti-
a: Religio obtentui sumpta: parsimonia humani
sanguinis nulla, cùm præsertim iniquiore animo
jumenti alicujus quam ratione præditi animalis fe-
rat jacturam: ut jam mirum non sit, ab eo copio-
sissima promanare sanguinum diluvia, quem, ut
belluinæ præluderet ferocia, altrix crudelitas equi-
no emutrivit lacte,

3. DVX IOANNES ALEXIOVICIVS
WORATYNSCIVS. Eadem propagine, qua
Odoovscii genitus; sed quidquid illi propitia for-
tuna claritudinis & opum indulsit, hoc impar ma-
gnarum rerum curis & agendis rebus animus de-
traxit. Neq; existimo alium vim potius quàm
speciem in animo Principis tetinere potuisse, ut-
pote materterâ sua natum, si tantæ cognationi &
natalitiis splendoribus magnæ indolis individua

comes obstetricata fuisset prudentia. Ætas certè nondum virilis abhorret ab omni negotiorum mole; quam si prope duodecennale hoc bellum neq; consiliis, neq; militaribus erudivit artibus, exigua spes est, posse illam ad meliorem revocari frugem, aut illum, quà Principis voto, quà magnæ populorum expectationi satisfacturum.

4. DVX IACOBVS NICHITITIVS ODOOW-SCIVS, Filius superius nominati Nicetæ, artibus pacis quàm belli instructior. Senatoriâ dignitatem, quam planè cum lanugine adeptus est, laudabiliter administratæ Præfecturæ Astrachanensis cumulavit laude. Industriam ejus exercuere Sclavonicæ literæ, & (si quæ in obfuscatâ ignorantia caligine haberi potest,) magis adminiculis naturæ, quàm erudito quæsitam labore præ se fert sapientiam. Tolerabilior coætaneis suis procul dubio fuisset, si ex innato fastu & insitâ Proceribus Russis arrogantia, civiliorum aut externarum cognitio rerum aliquid morositatis detraxisset: aut certè ingentes animi dotes non prædamnasset inculta & male cohærens naturæ ipsius alumna consuetudo.

5. DVX GREGORIVS SEMIANOVIGIVS CORACCIVS. Ex Gediminea & Olgierdoviâ, Magnorum Ducem Lithvaniæ gente, stirculus, quod indicat Corecciorum nomini non absolum cognomen. Crediderim plerasq; Principium

cipum istorum stirpes tunc potissimum in oras Magnæ Rusiæ suas deduxisse colonias, cum sub Casimiro Tertio Iagiellonide is qui servare Regnum debuerat conclave atriensis, Principes etiam (ut ita scribam) sanguinis, qui pulchrè Regnum circumcinxerant latus, æternum pænitendo rigore, non à limine tantum, sed etiam à limite paterno removit. Caterum prænominatus Dux iste Gregorius, quò remotior à cognatis Principibus, eò magis degener moribus: Vividam etsi senectutem, & canitiem sellâ curuli conspectiorem nulla insignivère magni momenti merita; si arrogans supercilium, & trucis animi indicem vultum spectes, aptiorem laniens exercendæ, quàm sententiæ dicendæ affirmabis.

6. DVX ALEXIVS ANDREOVICIVS sive ANDREIDES HALICINIVS. Ab eadem plantagine, sive ejusdem plantæ ramus: ab ephēbis continuus Principi, ad eam translatus dignitatem: nuper Sibirientis quasi Vice Dux, seu Vice Regem, dixeris: quò liberalius fortuna congescit in illum ampliora bona, eò temperantius hospitantis, non habitantis stabili domicilio, fiduciarium se arbitratur inquilinum felicitatis.

7. DVX THEODORVS THEODOROVICIVS CORACCINVS! Gregorii ex fratre nepos, solâ spectatæ probitatis, (quæ in hac
simu-

Mathias
Stryco-
vius de
rebus
Lithva-
nis, Lib-
ni fallor
20-

simulationum officinâ stuporem mentis aut animi benè tegit,) opinione, curæ & educationi Principis Iunioris Theodori Alexiovicii ad motus. Sed nihil inconsultius est eo Principe, qui rem bellicam summis bellatoribus, legum tutelam & rerum civilium administrationem juris & æqui consultissimis committit; solam filiorum institutionem, à quâ aut felicitates suas mutuatur regna, aut certè expectant, ut lapsu graviore ruant, ad eos demum redigit moderatores, quos melius & convenientius agro colendo, quam excolendis in spem regiminis magnorum populorum natis ingeniis admovisset.

8. DVX IOANNES PETROVICIUS PRONSCIVS. Sole conciliatrice generis claritate, (quam à Magnis Ducibus Kijoviensibus trahit,) educationi Primogeniti filiorum Principis Alexii Alexiovicii moderatur. Cujus tamen in eum collatæ præfecturæ serò & præposterè Principem panituit, optimè scilicet gnarum, quàm firmam prima hæc rudimenta, ab indocili animo tracta & derivata, sicuti apud plerosq; , ita apud Dominantes memoriam relinquunt. Certè si optimum electio Principem invenit; non deteriore aliquando non nullorum adoptio destinat: unica fors nascendi si aliquem cæco delectu ad hæreditaria evocavit scepra, tunc demum errorem corrigere suum

*Succes-
su
caruit,
nâ Prin-
ceps Ale-
xius Ale-
xiovicus
fatus fuit
et us est
1670.*

suum, si Principem, publico usui natum, aut Regnatricis prudentiæ, aut melioris literaturæ formavit usus.

9. DVX IOANNES ANDREOVICVS five ANDREIDES CHOVANSCIVS.

Quæsitâ Majorum suorum decora, scilicet ab eadem Gedimineâ gente promanantia, nullus cumulatius servare ex etymologiâ sui cognominis potuisset, nisi privigni animum contra antiquam altricem suam Lithuaniam induisset. Sed rependit talionem non tam cæca fors, quàm placatum rebus Polonis Numen, dum integro anno cæsus, ad Polonkam cedere campo didicisset: servilibus fugientium scapulis Polonorum non habetavit: servilibus fugientium scapulis Polonorum non hebetavit, sed irritavit & exercuit arma.

10. DVX BORISSIVS ALEXANDROVICIVS REPLINISV. Nihil jucundius Moschovitica spectavit aula, quàm hunc summâ exturbari primariæ potentæ arce, quam olim apud Magnum Ducem Michaelem Fedorovitium unus quasi tenuerat. Nam sicuti Regnanti uni debita odia in ministros exonerari optabile: ita subjectis populis sæva consilia in authores redire suos gratisimum. Sævitiâ certè, etiam imminutis fortunæ suæ vicibus non exiit; documento rebus humanis futurus, reliquas mortalis vitæ pestes deflore-

sciente aut extingvi aut arceri posse ætate; solam crudelitatem sævisimæ connatalem genti, vitare interitum, priusquam suum centrum cor, ultimò in hominè sub fatales veniat leges.

II. DVX IOANNES BORISOVICIVS REPLINIVS. Damnosa quid non imminuat dies, & quàm sæpè deterior ætas progeniem ferat etsi non vitiosorem, tamen vitiis parentum proximam, innotuit luculenter orbi. Nam si invenit etiam æmulos infælix nequitia, quid non efficient in animis filiorum parentis vitia aut virtutes? Certè ut pleriq; ita & Replinius, naturâ factus, & consuetudine exercitus velare odium, & innatam crudelitatem, quam ut quasi cicuratum feliciori quàm parens tegat eventu, circumspectæ prudentiæ & gravitatis prætendit nomen.

*Tacitus
in Vita
Agricol.*

12. BASILIVS BORISOVICIVS SEMETIVS. Virtutes iisdem temporibus optime æstimari, quibus facillimè gignuntur, cum jam Virtutem ipsam excinderet Tyrannis, servitus inumbraret libertatem, & detractis suis fascibus crudelius in capita innoxiorum suas expedit se-
cures, promptior jam vitiorum quàm meritorum æstimatrix arbitrata est Roma, procul dubio belluarum domicilio dignior, quam bellatorum, quæ liberatorem suum Camillum expeditius damnavit exilio, quàm donavit triumpho, quæ patiebatur eum

eum vili & angusta occultari vilâ, qui ingratham unâ orbis partē auxit patriam, & æmulam suam servire coëgit Carthaginem: tamen tunc virtutes apud se natas noverat æstimare, & unicuiq; debita rependere decora, cùm ille qui serò laudabatur, rarò fuerat superstes. Nihil morabatur Seremetii bellicam fortitudinem, quam plane dotalem in clarissima & bellatrice accepit domo, nisi præpostera ingentis animi & præclare factorum interpres, æquior (ut plerumq;) imbellibus parafitis, quam viris ad summa natis, Moschovitica aula obtitiffet. Quæ sicuti provinciam illi fatalem, & ab omnibus comproceribus suis evitatam destinavit; ita calamitatem hanc, quæ fortiter dimicanti pro Roxolano Imperio obtigit, modico sensu, & parco pro eliberandò impendio transmisit.

13. MICHAEL MICHALOVITIVS SOLTICCOVIVS. Vt innotesceret orbi, ex confluxu advenarum magnam Aquilonis coaluisse Monarchiam, Solticcovia gens ejusdem cum Morosovia & Sehynia stemmatis & sangvinis, ad Michaëlem quendam Boruffum, sive Pruthenum, ante quingentos annos, imperantē Magnò Duce Alexandro Neuscio, Neogardiam suas deducentem colonias, refert originem. Certè Michaëlem, æquaturus Majores suos, cum Borisso fratre, olim aula Magni Ducis Marschalco, Magnò Duci Mi-

chaeli Fedorovicio Sceptra Moscovitica capeffeti summum adminiculum tulit: & hucusq; etiam fenuiffet inconcuffa illius in aula potentia, nifi male provida invidia, quæ in aulis Principum aliorum ægris oculis humanam aspicit felicitatem, in hoc verius malarum artium ergaftulo, quàm virtutum domicilio ipfum Principem in discernendis meritis feciffet cæcutire.

14. PÉTRVS VASILEVICIVS SEREMETVS. Tumet alto stemmate, tanquam fecerit ipfe aliquid propter quod nobilis effet. Vna administratæ iniquè ufurpatæ Kiioviæ inclaruit laude, arte quadam oftentatur fui, & militaris gloriæ appetens, nifi insolitus arrogantia fastus non male difpofitam indolem odio etiam ejus gentis feciffet obnoxiam, quæ virtutes à vitiis nunquam difcernere novit.

15. IOANNES IVANOVICIVS SOLTICCOVIVS. Appium hunc Claudium Rufiæ, non Romæ, oculis non mente cæcum dixeris. Memoria antiquitatis tam firma & tenaci, ut in domesticis & externis rerum gestis tanquam oraculum confulatur, etfi ne interfit Confiliis Principis, diuturna cæcitas, & capularis rude illum donavit fenectus.

16. PETRVS MICHALOVITIVS SOLTICCOVIVS. Coævus Principi, &

vix non à crepundiis in obsequio ejus enutritus. Ex opulenta & prædivite domo vitiorum parum (quod mireris) extulit, sed virtutum Senatorio Ordini multum intulit. Prudentiæ raræ, constantissimæ erga Principem fidelitatis, quæ invidorum Procerum sæpè ita elusit commenta, ut ea quæ multos præcipitavit, uni Solticcovio inoffensa Principis gratia constare videatur.

17. DVX IOANNES SEMANOVICVS PROZOROVSCIVS. A sanguine Iaroslaviensium Ducum deducit stirpem. Sueticæ (ut vulgò appellantur,) commissiones, & non damnum pacis concludendæ studium, præterea bellica decora Aquilonari hunc commendarunt orbi. Componendis tumultibus Dunensibus seu ad Thanaim contumacium Cosacorum destinatus, quem eventum fuerit sortitus, quando hæc scriptissimus præstolabatur aula.

18 DVX IOANNES ANDREOVICVS CHILCOVIVS. Si ita ab impotenti irâ animum cohibere potuisset, sicuti à donativis, & mercedis Iudiciariæ aucupio immunes manus habet, meritò illum inter exempla antiquæ probitatis collocarem. Sed quantum generosum peccatus suum corruptelis præmiorum impervium clausit, tantum iracundiæ impetus sævum & obtenebratum animum aperuit.

19. DVX GEORGIUS ALEXIOVICIVS DOLHORVCCIUS. Raro personam benè tulit, cujus vultus ab animo disfidet. Fabium iste simulat, cùm sit deterior Catilinâ. Servilis tumultus potius, quam belli, & refractariæ Cosacorum Dunensium contumaciæ inventor & lituus. Dum enim unius parùm meriti ex primipilaribus laqueo gulam fregit, planè beluïnâ crudæ & insinceræ servitutis famem adeò irritavit, ut pro uno perperam collocato patibulo, quidquid intra Astrachanensem & Casanensem oras latissimorum populorum patet ditionis, hoc totum atrocissima vindex sui doloris colluvies, immeritorum suppliciis subjecerit & lanienæ. Impunè tamen (quod mireris,) tantùm sanguinis prodegit, & de humano genere spoliato & caeso sanguisuga triumphavit, prægravantibus prudentiæ civilis & militaris dotibus, aut (quod deplorandum est,) tantam subjectorum jacturam populorum infra unius malè consulti, & vix sui compotis viri meritum Príncipe reputante.

20. DVX IOANNES IVANOVICIVS ROMADANOVSCIVS. Romadanovscios indulgentior fortuna & pronior Magni Ducis erga hanc stirpem animus ad ea evexit fastigia, ut quatuor ex suâ gente numerent majoris subsellii Senatores. Certè prænominatus Dux sellâ nunquam

quam confedisset curuli, nisi continuus Principi filius, nullis quasi meritorum vestigiis tritam, suâ solertiâ præmunivisset viam.

21. DVX GEORGIUS IVANOVICIVS ROMADANOVSCIVS. Nemo istius potentiam beneficio sensit, aut deprecatione periculi, aut relevatione illatæ calamitatis. Criminator in alios acerrimus, & ejus quem oderit clam, palam laudator, etsi literis Latinis, tum vulgaribus (ut ita scribam,) nostris parùm tinctus: sed hæc animi & comitatis decora plerisq; exitio steterê, dum ab hâc viperinâ malè cavent vafricie, & de Viro literato mitiora pollicentur. Explorari uniuscujusq; sensum nemo ex civilioribus etiam ingeniis penitus possit: animus audax, sui obtegens, & impenetrabilis simulationis, juxta adulatio & superbia, sæpius industria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parandæ potentiæ finguntur. Seianum procul dubio Russica aula habitura, si irâ superum in rem & gentem suam, Tiberium nacta fuisset.

22. DVX BASILIVS GREGOROVICIVS ROMADANOVSCIVS. Cui infesta & planè noverca bona animi subtraxit natura, altera etsi cæcutiens, altrix fortuna, commendationem fumosarum substituit imaginum, quarum nihil simile habet præter colorem. Digniores pleriq; ut in populari versentur orchestrá, quàm Principis circum-

circumsfideant latus, quod improvidè cinxit, quem-
cunq; aut rarior prudentia, aut bellica non insigni-
vit fortitudo.

23. DVX GREGORIVS GREGORO-
VICIVS ROMADANOVSCIVS. Optimè
consuluère humanis rebus æterna fata, dum sum-
mas virtutes deterrimis aliquando vitiis miscent:
& rarò aliquem in curiam sive sacrarium coopta-
vère honoris, quem populares sui intra limina de-
sudentem non spectavère virtutis. Innatam fero-
ciam Romadanovscius, gladiatorium ferme robur,
& trucem illum, ac fortunis (ut asserunt nonnulli,)
insidiantem alienis animum transfudit ad campum
fortitudinis, & Dominam campi fortunam, cui fa-
mulari ille demum novit, quicunq; prodigalitate
sui, nec parsimoniâ sanguinis alieni, duratura tan-
tùm sub arbitrariâ Vitæ & Mortis staterâ obsequia
pignorari audet. Neq; ibo infitias audaciæ illum
quam consilii videri meliorem, & promptius obi-
re pugnacis militis, quam providi Ducis partes:
Si tamen ineunda est benè meritorum de Re Mo-
schoviticâ censura: facilè conjiciet præsens ætas,
& sera judicabit posteritas, ita illum Principi suæ
hoc duodecennali bello impendisse operam, ut
planè eundem æquarint pauci: ardore verò bel-
landi, strenuâ & indefessâ agilitate, (tùm, quod in
timidiore rarissimum gente,) leoninâ animositate
superayerit nemo.

24. ATHANASIVS LAVRETOVICIVS
 NASCZOCCINIVS. Nasci clarâ stirpe for-
 tuitum, nec ultra æstimatur: suapte inclarescere,
 & non tantum ad struere, sed architectari sibi (ut
 ita scribam,) fortunam ille demum novit, quem
 cunq; altior humanis cœtibus Virtus à promiscuâ
 vulgi secrevit Fece. Municipalis ille eques, &
 novus Arpinas, ex faucibus conjuratorum eripere
 potuit Romam, & qui adhuc oriri tantum caperat,
 accensas parricidarum extinxit faces, nullo huma-
 ni generis probro, non Romæ tantum illi renatae
 deberi laudem, sed totius copiose loquentis sapi-
 entiae, ad hominem, cui non generis fastus, sed
 fasti immortalitatis faciunt nomen, referri natales.
 Neq; Claudiorum, aut Corneliorum, aut Fabiorum
 stirpe inseruit Marium fors nascendi: unus tamen
 Cimbrorum multitudinem, sexcentis millibus inun-
 dantem, à florentissima Italiâ avertit, monstratu-
 rus orbi, posse etiam inter viles decurias aut tri-
 bus nuper censum, conditoris aut conservatoris
 Imperiorum expectare nomen, si præsertim non
 plebeja, quæ in pastoralibus olim tuguriis maxi-
 mos educavit reges, manuducat virtus. Vix non
 tantis usibus, sed ingenti Principis sui obsequio,
 aut clementioris vis Huminis, aut indulgentior
 quædam facilitas naturæ Nasczoccinium formavit.
 Tredécennalis certè armistitii sparsa per Europam
 gloria,

gloria, quàm optare videbantur Christiana regna, (vix tamen sperasse arbitror,) tantò nobilius illi statuet in animis posteritatis acroama, quanto præstantius hic de unaquaq; meretur communitate, qui illam, etsi non diuturna, auget pace, quàm ille, qui inter necivis imminuit & exhaurit bellis. Scilicet nec uni urbi, nec uni Republicæ, verius auguratùm fuisse quàm scripsisse arbitramur vatem.

Juvenalis.

*Summos posse viros, & magna exempla daturos
Veruccum in patriâ, crasq; sub acre nasci.*

25. BOGVSLAVS five BOHDANVS
MATVIEIOVICIVS CHYTRIVS.

Claudat agmen, & circulo Majorum Senatorum coronidem imponat, qui nunquam clausas aures supplicibus, maximè externis habet, & coronam Principis beneficâ usq; adedò enititur fulcire manu, ut expulsâ quasi veteri Dominâ Tyrannide, Gratia sivè Charites æterna hîc domicilia figant. Rigorem illum contracti supercillii, quo immanior gens malè plerumq; audit, insvetâ his oris & moribus emendavit comitate: & sicuti ministros aulae regimine præit, ita humanarum calamitatum ad pedes Principis procumbentium, antreambulo est. Meritò armamentarii seu armorum, quibus utitur Princeps, & aureæ gazæ, seu gem.

gemmarum, & pretiosiorum lapillorum repositorii curam gerit: svavioribus etenim armis humanitatis plerosq; allexit, quam ferrea hæctenus subjugavêre arma, & cuilibet regnanti præstantiores thesauris, liberalitate regnatrice non abusus, paravit amicos. Manum de tabula tollere tædii merus monet; sed ex pectore nunquam evellere benè meriti Viri præclaram memoriam gratitudo jubet.

CASTELLANI sive Okolnicze

Slavonicâ Linguâ appellati.

1. **D**UX Borisius Alexandrovicius Traiccurovius. Etsi à stirpe Magnorum Ducum Iaroslaviensium oriundus; magis tamen personatus Histrionus est, oblectando quàm consulendo Principi destinatus.

2. **D**UX Daniel Stephanovicus Weliki Gagus. Non disparis stemmatis, sed quidquid illi fortitudinis & prudentiæ parcior in eum detraxit natura, hoc abunde compositæ mansuetudinis & non fucatae sinceritatis refudêre dotes.

3. **D**UX Demetrius Alexiovicius Dolhoruccius. Indolem & fortunam Georgii superioris descripsi, sed quantum ille ætate hunc præcedit, tantum prudentia & reliquis dotibus antecellit.

4. **Dux Georgius** (ni fallor) **Ivanovicus** **Boratynscius**. Exercuere illum arma, & si levitas non derogaret, pauci illum militaribus æquarent artibus. Eò accessit temeritas, levitatis comes, quæ belli Duces pessumdare consuevit.

5. **Theodorus Vasilevicius Buturlinus**. *Celadinâ* Originem à gente Hungaricâ trahit: sed immitiore fortunâ malè ab opibus instructus, etsi truncâ & mutilatâ manu in acie Ochmatoviensi, indulgentiorem Principis promeruit manum.

6. **Andreas Vasilovicus Buturlinus**, Vti sanguine, ita & virtute non discrevit eum! fortuna, sed ærumnas illius auxit, dum filio in spem melioris fortunæ genito in Konotopensi pugna, & prius lumine orbavit.

7. **Niceta Michailowicius Barbaricinus**; Romanoviam patriciam antè, nunc regnatricem, & Seremotoviam sanguine attingit domum. Tanti sanguinis Iusticiæ cultus, & corruptelis nunquam obnoxius animus additamenta sunt.

8. **Michael Semanovicus Wolynscius**, Prudentiæ utiq; non contemnendæ habetur. Legationibus bellicis, & continuis quasi præfecturis tam pacatis, quam militaribus inclaruit.

9. **Basi-**

9. **Basilii Semianovicius Wolynscius.**
 Ut in corruptissima olim, & jam vergente in perniciem Romanâ aulâ, plerisque hic reperias magis extra vitia quam cum virtutibus. Solertiam tamen & circumspectam prudentiam istius utiq; non improbares, nisi planè in illum conveniret, quod vix cuiquam contigit abundare etsi mediocri fortuna, indigere arrogantia.

10. **Joannes Fedorovicius Strefzniovius.** Modica & vix non sine lare atq; penate domus, ab Eudoxia moderni Principis Matre ad consortium sceptri & thori assumpta claritatem accipit. Simplicitatis ingenuæ iste ostentationem aliquam præ se fert, etsi non virtutem.

11. **Hilarion sive Radivon Matujevicius Steszniovius.** Callidior hic atq; Scrutandis arduis negotiis, congerendis ærarii publici nummis, feluti affectibus humanis aut major aut intactus, sæpe à Principe adnotus.

12. **Simeon Artemovicius Ismailovius.** Decoram cicatricibus senectutem, & paternis ac non degeneribus meritis suis opimam prædem debita cumulassent præmia, nisi improbus adversariorum obstitisset livor, qui devota olim toties pro incolumitate Principum suorum Ismailoviana

capita, cum deinnoxio Sehynii supplicio male consulta triumpharet invidia, immerito demessuit.

13. **Joannes Michailovicus Miloslavscius.** Natales & origenem eorum superius attigi cum patruum potentiam Eliæ, elocatione filiarum Mariæ, moderno Principi nuptæ, consecuti, inter rationes senatus consultorum memorarem. Impiger & ad quævis obeunda munia præclare indolis, inclinatione Principis, & florente fortuna quasi hæreditarios patruum consecuturus est honores.

14. **Joannes Bohdanovicus Miloslavscius.** Vastitatem rerum cognitioni conjunctam etsi nullius adhuc in commodo promere parum audeat si tamen altioribus illum fastigiis indulgentior admoveret fortuna, vix aliquem infidiosius plerisque quos aulica venenatis allexit lenociniis fallacia, proculdubio nociturum judicarem.

*Plinius
in Panegyrico.*

15. **Theodorus Michailovicus Artyszovius.** Præcipuum indicium non magni Principis magnos libertos laudatus optimi Principis encomiastes putat, mutaturus animum & stylum si videret hunc obscuriore quidem, sed ingenuo natum loco ita religioni & cultioribus innutritum cum literis, tum moribus, ut quod olim vetus aula in suo admirata est stilicone, & quod uni ex Cæsaribus,

ribus, plerosq; virtutis merito, non generis, ad capeffendos deligenti honores, dignior perenni laureâ immortalitatis, quam marcescenti Heliconis sermo acclamavit scriptori, id ætas nostra adscribat magno Aquilonis Monarchæ,

Lector ex omnibus oris.

Evehis, & meritum nunquam cunabula quæris,

Et qualis, non unde solus.

*Claudianus de
Laudib.
Stilio
lib. 2. do.*

Felicitatem illius, utpote in homine novo, ille demum iniquius feret, quem minus propitia fata, ut meritorum ita honorum voluere esse exortem etsi nullam majorem crediderim Principum felicitatem, quàm fecisse felicem, & intercessisse inopiæ, & fortunam vicisse, & dedisse homini novum fatum.

Consultò prætermisi patrem istius Michaelem ^{pacatus} Alexiovicium, sanctioris umbraculis religionis ab- ^{in Pance-}ditum, quæ non ita eum occultavere ne secretiori ^{Gyrice.} & sacratori interdum Principis consilio interfit.

Duo exciderant memoriâ Castellani, Dux Petrus Ivanovicus Boratynscius, & Dux Niceta Iavovlevicius Luovius sed nuper allekti in Senatum, nullis adhuc tanto loco idoneis meritis inelaruere.

Ultimus Iosephus Ivanovicus succinius. Quem postremo ut loco fortuna, ita agresti donavit ingenio natura, stipitem enim, non hominem facile arbitre-

bitreris quem enormiter hebetem, & natum potius rudere inter Arcadiæ pecuaria, quàm tanto consulere Principi, ab omni eruditione remotus iudicavit Senatus.

Littus jam spectanti obtrusere sese etiam invito nomina quasi assidentium aulicorum [Dumnoi Dvvoranie] appellatorum: Vt sunt Ioannis Naszczocinii nuper legatione ad excipiendum iuramentum ferentissimi IOANNIS CASIMIRI, Varfaviæ functi, tum Athanasii Narbiaccovvii, supremi nunc ærarii Præfecti, Ioannis Czaadovvii, Kijovvientis nuper commendatissimi Gubernatoris Iosephi Chytrii in excubiis Zaparovvientsibus plusquam sexennio collocati. Ioannis Pronczyfcii ingenii ad fabricanda tormentorum machinamenta aptissimi. Procopii Elisarovvii, Ioannis Bocclanovvii, Hilarionis Lopuchinii, Gregorii Aniczcovvii, Simeonis Zaborovvfcii, Zamiatnii, Zeontovvii, Ioannis Matusfcinii ferè Decuriæ unius aut alterius.

Cancellarii præterea numerantur ferme quinque quorum hic ita eviluit manus, ut illis spectante Principe confidere in consilio sit nefas. Duo sunt legationibus excipiendis destinati, Hieronymus Semanovicus Doctorovius & Luccianus Timophicovvitus Golosovius.

Bellicorum Consiliorum, & totius quasi Nobilitatis alicujus comitatus administratio est penes cancel-

Cancellarium, Rozradnii Dyak appellatum, Dementium Miniovicium Balzmagnovium.

Regalium sive Ducalium Bonorum, Dyak pomiestnii apellatus, Gregorius Stepanovicus Craulovius.

Pedestris militia, sive Custodum Corporis, Stzrelecki Dyak apellatus, Alexander Stepanovicus Durovius.

Reliqua tam conclavis Principis, quam struendæ mensæ munia tum militiæ instituta, & viliora honorum imitamento. separatâ, quisquis hæc nostra leges à me expecta opella. Abiturus, à vi-
 li hoc scripto, ut tædium quod contraxisti ex hac rudè Minerva, lenias, imprime, si lubet: memoriæ, quod impresit pridem libris potius quam animis posteritatis sapiens Romanus: Quæ potentia aularum est, cui non parata sit ruina, pro culcatio Dominus, & carnifex? Nec magnis ista interval-
 lis divisa: Horæ momentum interest inter solium & aliena genua. Locuples est? nunquid ditior Pompejo? cui cum Cajus, vetus cognatus, novus hospes, aperuisset Cæsaris domum, ut suam clauderet, defuit panis & aqua; cum tot flumina possideret, in suo orientia, in suo cadenna, mendicavit stillicidia. Fame ac siti periit in palatio cognati, dum illi hæres esurienti publicum funus locat.

Honoribus sumus functus es? numquid tam magnis aut tam insperatis, quam Seianus? quo die illum Senatus in curiam deduxerat, populus in frustra divisit: in quem quidquid congeri poterat, Dii hominesq; congefserant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? non ad Cræsum te mittam, qui rogam suum & accendi & extingui vidit, factus non regno tantum, sed morti etiam suæ superstes. Ptolomæum Africæ Regem, Armenia Mithridatem inter Caianas custodias vidimus: alter in exilium missus est, alter ut meliori fide mitteretur optavit: in tantâ rerum sursum ac deorsum euntium versatione si non quidquid fieri potest profuturo habes, das. in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit.

*Seneca
de Tran-
quillita-
te animi;*





LAPPIA
PARS

MOURMANSKOJ
MORE

Obdora

Bergsota
BERIA

Album
mare



Toboll metropolis Siber

St. Turasl.

in Tumen

Michad Archang
da Steopengh

da Slabocka

Permueliof

PERMIA

Poll

Wiatka

Vppa

da Wotka
Bela Wolga fl.

WAG

Lemna

Carganof

WOLOGDA

Bela Oosta

Wile

Da nielofco

Ma

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

Sin

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Latio

da Trospa

da Mfino

Bela

Wile

da Galitz

da nielofco

da Grom

da Dwery

Trouaf

WO LO

Sudal

da Morcna

MOSCUA

Cziopodls

Alax

Colaga

SEVER

da Gepifa

da Golitz

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa

da Gopifa


SUCCINCTA
MOSCHOVIAE
DELINATIO

Job. Berghheimer Sculp.



67²⁹/₇





16, 253

6729
Z

